This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ld
11
21

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ld 11.21

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

QUAESTIONES

AD

DRACONTIUM ET ORESTIS TRAGOEDIAM

PERTINENTES.

QUAESTIO I.

DE GENERE DICENDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM GOTTINGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

BERNARDUS BARWINSKI
GYMN. REG. VALCIENSIS PRAECEPTOR ORD.

GOTTINGAE MDCCCLXXXVII

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.



Ld 11.21

LIBRARY

Constantius fund

'Hariolari, ubi nihil scitum, non est ineptum, dum ne ipsa inepta sit hariolatio'.
Godofr. Hermann. Opusc. V. p. 150.

Orestis, quae inscribitur, tragoediae [1]) etsi versus viginti unum*) iam anno 1760 J. B. Sinnerus in catalogo codicum latinorum bibliothecae Bernensis (p. 507 sqq.) et quinquaginta tres**) anno 1839 Angelus Maius in praefatione Spicilegii Romani (tom. I. p. XXIV sqq.) protulerant, principem tamen editionem secundum codices, quibus hoc epicum carmen continetur, alterum Bernensem, olim Bongarsianum, membranaceum, qui saeculo nono vel decimo, alterum Ambrosianum, chartaceum, qui saeculo decimo quinto exaratus est, anno demum 1858 C. G. Muellerus, cum universitati literarum Jenensi saecularia tertia celebranda gratularetur, curavit eamque a. 1859 prògrammate, quo sollemnia scholae Rudolstadiensis celebranda indicebantur, iterum descripsit. Post Muellerum, qui, cum rationem codicum nondum perspexisset, fabulam vitiis innumerabilibus scatentem in publicum emiserat, imprimis viri doctissimi Fridericus Haasius [2]), Rothmalerus [3]), Maehly'us [4]), Schenklius [5]), Schwabius [6]) hanc provinciam tractandam

1) Baehrensiana editione utor (Poet. lat. min. vol. V. Lips. 1883. p. 218—261), sed audaces emendationes eius non semper sequar. — Editione Dracontii carmin. Neapolitan. utor Duhniana (vid. infra). — *) vv. 1 et 2, 753—771. — **) vv. 1—53. — 2) Miscellaneorum philologicorum libro III (8.) Vratislaviae anno 1861 edito (progr. acad. ad diem nat. reg. august. Guilielmi rite celebr. invit.). — 3) Orestis tragoedia emendatur ab *Adolfo Rothmaler*. Progr. Nordhausen 1865. — Fleckeis. Jahrbb. 95, p. 861—870. — 4) Anonymi Orestis tragoedia, emendatiorem edidit *Jacobus Maehly*. Lips. 1866. Teubn. — 5) Orestis tragoedia, carmen epicum . . . edidit *Carolus Schenkl*. Pragae 1867. — Zeitschr. f. österreich. Gymn. 18 (1867) p. 81—95. — 6) Ind. lectt. Dorpat. pro 1867. II. 13 pp. —

sibi sumpserunt, qui acute saeculo quinto demum p. Ch. n. vel sexto Orestis cunabula adiudicaverunt, sed de auctore huius tragoediae, quam aevo medio extiterunt qui dementissime Horatio et Lucano imputarent[7]), praeter Hagenum, qui Lucano eam assignavit[8]), nemo, quod sciam, coniecit, donec quindecim abhinc annis in appendice ad opera ab Angelo Maio edita (Romae a. 1871) post Orestis tragoediam (p. 1) Dracontii 'Raptus Helenae' (p. 12—17) apparuit et reliqua Dracontii carmina minora duobus annis post editione Duhniana[9]) emissa e codice Neapolitano viris literatis innotuerunt. Quo facto, Angeli Maii et Duhnii sententiam secuti Baehrensius[10]), Ribbeckius[11]), Peiperus[12]), Rossbergius[13]) Dracontio Orestis tragoediam delegaverunt, atque ita nunc sese res habet, ut Dracontii manibus Orestem deberi pro certo fere affirmetur[14]).

Attamen, cum apertis testimoniis careamus, hanc disquisitionem nondum absolutam esse, quicunque in hoc quaestionum genere non plane hospes est, lubenter mihi adstipulabitur. Nam post Duhnium, qui 'nonnulla tam in notis quam in sermonis (sc. Dracontiani) specimine composuit similia', Baehrensius et Ribbeckius in solo textu emendando versati sunt, cuius permultis ulceribus haud inscienter scalpellum praesentiaque remedia admoverunt[15]),

7) vid. *H. Hagen*, anecd. Helv. 236; Philol. tom. 27, p. 167. — 8) Philol. tom. 27, p. 168 et in annal. philol. anni 1869 p. 731. — 9) Dracontii carmina minora, plurima inedita ex codice Neapolitano ed. *Fridericus de Duhn.* Lips. Teubn. 1873. (Hac editione utor.). — 10) Fleckeis. Jahrbb. 107 (1873) p. 271. En verba ipsa: Billigerweise muss auffallen, dass D. die Orestis tragoedia von dieser Ausgabe der kleineren Gedichte des Dracontius ausgeschlossen hat. Denn dass sie diesem angehört, hat Mai richtig gesehen und wird in Zukunft wohl kaum noch angezweifelt werden. — 11) Rhein. Mus. f. Phil. 28 (1873) p. 461 . . (cf. verba: . . die naheliegende Vermuthung, dass auch Orestis tragoedia dem Dracontius gehöre). — 12) Dracontii Orestes tragoedia, rec. *Rudolf Peiper.* Vratislaviae 1875 (p. 44: 'Dracontii esse Oresteam . . . statim intellexi . .). — 13) In Dracontii carmm. minora et Orestis tragoed. observ. critt., Stade 1878. — 14) ex. gr. cf. *Teuffel-Schwabe,* Röm. Ltg. 1882[4] § 475, 7. — 15) cf. *Baehrens:* Fleckeis. Jahrb. 107 (1873) pp. 69—70, 265—271, cf. 647 sq. 851 sq. — Bursian. Jahresb. f. 1873, vol. I. p. 224—230. — *Ribbeck:* Rhein.

et Peiperus libelli, quo, ut modo dixi, Orestem tragoediam edidit, pagg. 68 sqq. multos locos e Dracontii et aliorum poetarum carminibus per occasionem congessit, quam rem Rossbergius dissertatione Gottingensi [16]) ita continuavit, ut Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani imitationes apud Dracontium pariter atque apud Orestis auctorem reperiri demonstraret. Promisit quidem idem Rossbergius in praefatione huius aeque atque illius disputationis, quam supra commemoravi, se omnia ea, quae Dracontii carminibus minoribns cum Oreste communia sint, aliquando sub uno quasi conspectu composita foras daturum esse, sed eum promisso iam vere stetisse et accuratius alicubi carmina inter se contulisse nusquam ad tempus legi.

Itaque adhuc sub iudice lis est, neque irritum laborem me suscipere arbitror, si iterum iterumque scripta Dracontiana manibus tero et illud, quod viri docti haud temere suspicantur, magis explanare et pluribus argumentis ad certum liquidumque perducere studeo. Cum autem hic campus latissime pateat, ea tantum exempla, quae maximi momenti sunt, levibus omissis, conquiri atque considerari oportet. Quod neminem mihi vitio daturum esse spero, cum inter Orestem tragoediam et carmina Neapolitana necessitatem, qua non maior cogitari possit, intercedere iam ex iis, quae schedis meis continentur, satis superque intellectum iri persuasum habeam.

Quibus commemoratis, restat, ut addam, amplissimum philosophorum ordinem, cum meis impensis hoc opusculum imprimendum sit, petenti mihi concessisse, tantum primam de genere dicendi quaestionem prelo nunc subicere, postquam alteram de rationibus prosodiacis et metricis et tertiam de simillima res mythicas, quae carminibus exhibentur, tractandi ratione ac via quaestiones, quas item typis

Mus. 28, p. 461—472 ('Kritische Beiträge zu Dracontius'). — Praeterea cf. *Bücheler:* Rhein. Mus. 27, p. 477; 28, p. 348—350. — *Schenkl:* Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 24, 485. — *Loewe:* Acta soc. phil. Lips. II. 483 sq. — 16) *C. Rossberg:* 'De Dracontio et Orestis, quae vocatur, tragoediae auctore eorundem poetarum Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani imitatoribus'. Nordae 1880.

promptas iam habeo, anno proximo programmate gymn. reg. Valciensis, cuius praeceptoris ordinarii munere fungor, me promulgaturum esse promisi.

Quaestio I.
De genere dicendi.

Caput I.
De sermonis utriusque auctoris universo colore.

Sermonem latinum, qualem opera saeculo quinto post Christum natum vel sexto composita continent, a munditie aevi Augustei valde descivisse pristinumque splendorem eius multifariis maculis infuscatum atque inquinatum deprehendi, si quis extremis, ut aiunt, digitis ea attigit ac primoribus labris gustavit, facile adducitur, ut concedat.

Ac primum vulgaris linguae sive plebei sermonis vestigia in talibus libris anquirenda sunt. Etenim, quod Ciceroni ipsi accidisse videmus, ut, cum orationes primas et ultimas, nedum epistulas, scriberet, ad vulgi sermonem descendere nonnunquam non vereretur, id ipsum inferioris temporis scriptores, cum iniqua et libertati et literis imperatorum aetate, ut Corn. Tacitus ait, memoria fere cum voce perderetur, bona mente saepius sibi indulserunt eoque minus in verborum delectu eorumque structura fastidiosi fuerunt, quo mediocrius ingenium et minor exercitatio atque usus scribendi iis erat. Ac vehementissime inde a saeculo quarto post Christum natum, quod religione christiana praevalente insignitum est, sermo cotidianus in urbanum sermonem irrumpere poterat; itaque carminibus Dracontii, quem infima linguae latinae aetate viguisse constat, etsi habitum cultumque antiquum iis inducere volebat, vestigia plebeii sermonis contineri non mirandum est, verum quaerendum, num eadem apud Orestis auctorem inveniantur.

Accedit, quod Christianae doctrinae vi novum quendam ab integro saeculorum ordinem natum esse non solum in moribus institutisque Romanorum, sed etiam in literis eorum et solutae et numeris vinctae orationis negari nequaquam potest. Namque, nova religione divulgata, cum novae opiniones ignotaeque usque ad illud tempus sententiae hominum animis repente in tantis tenebris illuxissent, novis quoque harum rerum appellationibus opus erat atque etiam in oratione Latina 'novum illud vinum (sc. Christianae doctrinae) novis utribus recondi et novam plagulam novo adsui vestimento' oportebat (cf. Tertullian. De Orat. 1), qua re factum est, ut in reddendis christianis sententiis scriptores ac poetae illius aetatis angustis translaticiae et quasi publicae latinitatis finibus prorsus se circumscribi non paterentur et, necessitate interdum coacti, aut multa nova vocabula parerent aut graecas voces in latinam linguam transferrent, cum 'dabitis profecto, doceat Cicero, ut in rebus inusitatis utamur verbis interdum inauditis' (cf. Acad. post. I. 6. 24) et 'quod non habeas, aliunde sumas' (De orat. III. 38 § 156).

Sed inferioris aetatis et pagani et christiani scriptores non solum singulas novas et antehac incognitas voces linguae latinae ingerunt et vocabulorum iam extantium significationes inflectunt, ut tantae illi 'verborum paupertati, immo egestati' et 'angustiis Romanis', quas Seneca (Ep. 58) conqueritur, hoc modo subveniant, verum etiam legibus linguae vim saepe afferunt ac novas vocum copulationes insolentesque orationis structuras gignunt atque hoc proprio ac novo sermonis genere, quod sibi fingunt, magnificam quandam et generosam scribendi rationem magis magisque in dies depravant. Quod quamquam audacissime Afros[17]) peccavisse ac deliquisse constat, pullulat tamen apud alios quoque densa eiusmodi seges ac viget, veluti

17) cf. ex. gr. *Ruhnkenii* Praef. ad *Schelleri* Lexicon: '(Tertullianus) nescio qua ingenii perversitate cum melioribus loqui noluit et sibimet ipsi linguam finxit duram, horridam Latinisque inauditam, ut non mirum sit per eum unum plura monstra in linguam latinam quam per omnes scriptores semibarbaros esse invecta'.

iam apud Symmachum, cuius verborum constructiones inauditas cum stupore quodam intueor atque contemplor[18]).

Ita vetusta illa integritas et castitas orationis, quae Ciceronis temporibus laetissima incrementa ceperat, variis elementis, quae et ex vulgari et recentiore latinitate et aliunde scriptores petebant, misere corrumpebatur, nec miramur, sensim pedetemptimque eam in statum illum miserabilem deductam esse, quo apud Jordanem[19]) reperitur, ubi iamiam moritura habitu plane alieno induta incognitisque antea coloribus illita est.

Talia linguae indicia ac vestigia, quae ad recentiorem latinitatem aspirant, qualia carptim breviterque adhuc perstrinximus, larga et Orestea et reliquis carminibus Dracontii comprehenduntur, quem cum Orestis auctore eundem esse exploratum ac perspectum habeo. Qui quamquam ad priores poetas sese applicavit, quod ne primum quidem oculorum obtutum fugere potest, tamen 'medium tenet inter eos poetas, qui priorum vestigiis ita insisterent, ut sententias, imagines, significantia quaedam verba superiorum reciperent, ut puta Statium, Valerium Flaccum, Silium, Claudianum, et ineptos illos centonum consarcinatores, qui tota carmina sua ex versibus versuumve particulis Vergilianis compaginarent, quorum e numero satis erit Mavortium, Hosidium Getam, Faltoniam Probam attulisse. Dracontius enim cum illis id commune habet, quod ab exemplis suis sententias, locutiones, similitudines mutuo sumit, cum his, quod non raro versus aut totos aut dimidiatos sive non mutatos sive paullulum variatos in usum suum convertit. Diversissimus autem ab his eo est, quod totius cuiusque carminis, ut ita dicam, textura suis ipsius verbis efficitur'. Itaque loquendi ratio claudicans neque aequaliter ingrediens orta est, quod et varios poetas imitatione effingendos atque exprimendos sibi sumpsit variaque libamina sine ullo discrimine et ordine in unum vas quodammodo confudit et, ab eius ipsius scriptione quod prodiit, a ver-

18) cf. *O. Koren* 'Quaestiones Symmachianae' (Progr. Wien 1874) p. 41 sqq. — 19) cf. *Th. Mommsen* 'Jordanis Romana et Getica' rec. Berl. 1882. (Mon. Germ. hist. Auctt. antiquiss. 5, 1) p. 169.

sicolori florum mixtura, quos ad carmina distinguenda idoneos apium instar ex aliis libris excerpsit, magnopere discrepat. Cuius ipsius oratio ut carminibus concipiendis digna sit et vere poetica, tantum abest, ut rudis horrida inconditaque verbis vilibus saepissime contineatur ac pedestris tutaque semper fere humi serpat. Ubi autem ex magna siccitate et duritate ad granditatem assurgere eam conari liberoque volatu sublime ferri videmus, facere non possumus, quin rideamus, cum subito ampullae et verba sesquipedalia ineptissime proiciantur (cf. Or. vv. 616 sqq.) et brevi postea scriptor turpiter labatur nugis puerilibus delectatus. Nec vero humilis illa oratio, qua breves ac praefractae enunciationes vestiuntur, arida plane ac ieiuna est, sed ornatur expoliturque putidissime inanium vocum specie atque pompa, ut tumida haud raro et inflata videatur. Conditur etiam ubique atque illustratur figuris ex rhetorica disciplina petitis et immodice collatis atque troporum, qui a grammaticis dicuntur, usus frequentissimus animadvertitur, in quae lenocinia et longum est accuratius inquirere et ab hac commentatione alienum. Satis habeo ex verborum figuris unam hoc loco afferre, quam Graeci ὀξύμωρον [20]) vocant, cuius exempla leguntur Or. vv. 1. 8. 10. 12. 15. 444. 720. 909. Dr. V. 257. 280. VII. 13. 14. VIII. 121. 361. 413. 499. 500. 579. X. 229. Dd. [21]) I. 261 *molli durescunt*, 646 *nocturnos dies*, 649 *vitali in morte* ('ac sine morte tamen vitali in morte perempta'), II. 30 et *finem sine fine* paras, 133 *insoliti solitus*, 190 *concordi lite* (cf. Ovid. Met. I. 433 discors concordia), III. 4 *numerus* sideris *innumeri*, 168 *frigidus ignis*, 168 *gelidis flammis*, 503 *funere vivo* (cf. Dd. I. 648 funera viva gerens, vivax in morte cadaver). Sed haec quidem hactenus; dicendi enim genus, quo Oresteae fabricator utitur, universum cum eo, quod in aliis carminibus Dracontianis invenimus, mirandum in modum penitus congruere mecum sentiet, etsi quis veloci tan-

20) cf. Proleg. in Carm. Drac. (Mignii Patrol. Tom. LX) p. 671.... 'quibus verbis oxymoris, hoc est quasi acutistultis, quia stulta videntur primo aspectu, sed sunt acuta, plenus est Dracontius'. — 21) Dracontii 'Carmen de deo'. Mignii Patrol. Tom. LX. Parisiis 1847.

tum oculo, at uno et perpetuo tenore haec opuscula percurret.

Iam singillatim locutiones illas, et vulgares et quae recentiora tempora resipiunt, odorari et, quasnam Orestea cum reliquis epylliis communes complectatur, exponere animum induxi, cum in genere dicendi pensitando plurimum ad quaestionem solvendam eas valere existimem. Ne iniqua autem a me postules, monendum etiam atque etiam ac memoria tenendum est, Oresteam tantum ex versibus nongentis septuaginta quatuor constare neque omnes proprietates, quae in ceteris carminibus obviam fiunt, propter ambitus exiguitatem suppeditare posse. Quam argumentationem rectam esse reique optime convenire, ut tibi persuadeatur, genuinam, credo, Dracontii fabulam, quae 'Raptus Helenae' vel quae ‚Medea' inscribitur, cum reliquis compara, sodes, et intellege, non pauca ibi desiderari, quae alibi inveniuntur, cum ea repetendi occasio defuerit. Simul ex hac contentione cognosces, alia contra in illis tantum carminibus occurrere neque usquam alibi apud Dracontium cerni, quod aliter fieri nequit, quoniam poetas eadem chorda semper oberrare nemo iubebit. Itaque nonnulla eiusmodi etiam Orestem iure meritoque complecti posse assentieris, dummodo maximam partem scriptura concordet, praesertim cum etiam materia, quae tractatur, carmina inter se differant. Alterum est, quod superiorum poetarum imitationibus in Orestea amplius spatium quam in 'Raptu Helenae' vel 'Medea' impletur neque eiusdem magnitudinis locus talibus proprietatibus relinquitur. Sunt enim adhuc, quantum scio, huius fabulae versus circiter centum plus minusve imitando efficti ab aliis indagati, et alteros multo amplius centum infra leges a me investigatos, ut iam nunc constet, bonam Oresteae partem servili imitatione priorum effectam esse. Nihilominus tamen Orestis auctor Dracontius manet, quippe qui omnino in contexendis carminibus non putandus sit eadem imitandi via et ratione a carceribus ad calcem progressus esse, immo vero, prout maiorem dicendi facultatem in dies nanciscebatur, eo magis sine cortice quasi gradatim natavisse. Equi-

dem, qui nocturna fere ac diurna manu Dracontii opuscula verso, invenio, secundum Orestem, cuius servitium modo in transitu attigi, praecedentibus poetis maxime 'Raptum Helenae' et 'Medeam' inniti, paulo minus reliqua carmina minora ex iis pendere, carmen christianum, quod de deo inscribitur, minimam priorum memoriam redintegrare maximamque loquendi licentiam ostendere. Inde ansa coniciendi nobis offertur, tragoediam Orestis primo a Dracontio conditam esse, cui opinioni multae aliae quoque res suffragantur, et paulatim ex ordine, quem constitui, reliqua ab eodem esse suggesta.

Quae cum ita sint, congruentia locutionum infra collatarum spero te prorsus contentum fore neque quidquam ultra iniquo animo requisiturum esse. Quibus, retineri non possum, quin certum usitatarum ac tralaticiarum vocum apparatum praeponam, ut has quoque insigniter conspirare et consentire appareat, quem delectum, quantuluscunque est, noli prae ceteris contemnere ac neglegere, cum argumentorum vim nempe adaugeat.

Priusquam autem haec deinceps percenseam, versus versuumve particulas, quae in Orestea pariter atque aliis Dracontii locis occurrunt, conquirere eaque ipsa versuum repetitione ad sententiam, quam posui, defendendam primo neque edepol infirmo argumento uti mihi liceat. Longe aliter enim in nostra causa sese res habet atque in plerisque aliis, veluti in 'Ciris' carmine, quod sine auctoris nomine propagatum est, adiudicando, ubi multae quoque versuum partes potius contra eum auctorem faciunt, ex cuius scriniis depromptae sunt, cum iam aliarum rerum inter opusculum, de quo ambigitur, et carmina Vergiliana, quibus perperam annumeratur, diversitas extet quam maxima. Nam, quod acriter ante omnia examinandum est plurimumque ponderis habet, tota Orestis indoles naturae poematum, quae haud dubie vera sunt, maxime convenit, atque hanc ob causam etiam repetitiones illae loco argumenti sumi possunt, praesertim cum manifesto modum Dracontii referant ac prodant, qui in carminibus pangendis ex alio in aliud versus transscribere non reformidavit cuiusque 'Sa-

tisfactio' tota fere consuta est ex versuum particulis maioribus minoribusve iam aliis locis adhibitis. Quod bonis quoque poetis, non solis inferioribus accidit, sicut illustrissimo omnium Vergilio, qui 'non semel ternos continuos versus, ut de singulorum versuum iteratione sat frequenti taceam, data occasione alio loco repetit (cf. georg. 4, 162—169 cum Aen. 1, 429—436; georg. 4, 475—477 cum Aen. 6, 306—308), et praecipue Ovidio, cuius iterationes creberrimas satis quisque cognovit vel mediocriter in carminibus eius legendis versatus[22]). Imprimis autem magnus numerus earum dicendi formularum diligenti observatione dignus mihi visus est, quas Dracontius foris assumpsit et, cum prae ceteris ei placerent, diversis locis, et in Orestea et alibi, easdem usurpavit, quibus una cum fontibus, unde manarunt, priore loco collectis, posteriore addidi ab ipso Dracontio profectas et duobus, quorum alter semper Oresteae est, vel tribus versibus insertas. Quam admirabilem conspirationem quo facilius ac melius perpicias, rem ita instituo, ut non singulas voces versibus ereptas sub aspectum subiciam, vocabulis, quae non congruunt, omissis, sed integros versus in medium proferam, ex quo semper fere particulas concinentes etiam eodem ordine se excipere optem intellegatur.

Caput II.

De singularum vocum usu ac structura.

§ 1. De congruentibus versuum particulis.

A. Congeruntur priorum poetarum loci ab utroque auctore eidem usurpati.

α. Loci Vergiliani.

*) Vrg. Aen. III. 268. Tendunt vela noti: ferimur spumantibus undis.
Or. 108. Interea dum carpit iter spumantibus undis.
Or. 364. Et mare caeruleo tumide spumantibus undis.

22) exempli gr. cf. Metam. VIII. 217 et Art. am. II. 76:
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces
(de quo Luc. Mueller. de re metr. poet. Lat. p. 44 egit). Metam. VIII. 183 sqq. cf. Art. am. II. 35 sqq. (utrobique de Daedalo sermo est).

* Loci asterisco notati ante me ab aliis indagati sunt.

Dr. Dd. I. 149. Et mare navigerum quatitur spumantibus undis.

---

*Vg. Aen. II. 270. Erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
Or. 121. Atque oculos per cuncta iacit mandante timore.
Dr. Dd. I. 348. Tunc oculos per cuncta iacit, miratur amoenum.

---

*Vg. Aen. VI. 699. Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Or. 219. Haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.
Dr. II. 132. . . . non te decet ora rigare | Fletibus . . .
Dr. VI. 95. Fletibus ora rigat: quae non reditura recedit.

---

*Vg. Aen. II. 474. Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem et linguis micat ore trisulcis.
Or. 226. Pectore sublatus linguam vibrando trisulcam.
Dr. Dd. II. 224. Sibilat ore fero, lingua vibrante trisulca.
Dr. IV. 23. Sibila vibrabant linguis ab dente trisulcis.

Verg. Aen. II. 173. VI. 726. IX. 433 . . . . . per artus.
Or. 231. Ille vicem redhibens dabat oscula crebra per artus.
Dr. V. 65. Sponte petens tormenta cruces per membra per artus.
Dd. III. 641. Cetera membrorum currit propago per artus.

Vg. Aen. IV. 686. Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat.
Or. 302. Sic amat atque fovet germanum Castora Pollux.
Dr. VIII. 367. Hesione complexa fovet germana parentis.

---

*Vg. Aen. VI. 121. Si fratrem Pollux alterna morte redemit.
Or. 304. Mortibus[1]) alternis et vitae damna repensant.
Dr. X. 581. Mortibus alternis et mutua fata minantur.

Vg. Aen. VII. 74. Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari.
Or. 443. Et post fata viro flamma crepitante sodalem.
Dr. Dd. II. 775. Et facit angelicas flamma crepitare cohortes.

---

*Vg. A. VIII. 160. Tum mihi prima genas vestibat flore iuventas.
Or. 528. Vestitos sub flore genas lanugine crispa.
Dr. Sat. 228. Nec sub flore genae marcidus est iuvenis.

---

*Vg. A. VIII. 219. Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor..
Or. 616. Talibus adloquiis accensus felle doloris.
Dr. VIII. 287. Accendunt motus in pectore fellis amari.

---

*Vg. Aen. III. 226. Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus auras.
Or. 634. Classica bellisonis quatiens clangoribus auras[2]).

1) mortibus cod. A., Baehrens: coetibus sine causa scripsit. — 2) auras codd., Baehr.: aeris.

Dr. VII. 75. Classica si subitis feriant clangoribus auras.

---

*Vg. Aen. II. 541. Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque.
Or. 711. Qualis in hoste fuit trux inrevocabilis Aiax.
Dr. IX. 104. Hector in hoste fuit Saevus cum vita maneret.

Verg. Aen. II. 333. Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco.
Or. 713. Ore fremens et fronte minax mucrone corusco.
Dr. II. 25. Alcmenam galeatus amet, mucrone coruscet.

Vg. Aen. XI. 841. Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium Teucros conata lacessere bello!
Or. 716. Sperastis vos posse manus; modo saeva luetis
Supplicia scelerum non una morte perempti.
Dr. VIII. 298. .... si dudum parva luistis
Supplicia? ....

---

*Verg. Aen. I. 404. Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos.
Or. 787. ..tunicam manibus tendebat ad imos | Usque pedes..
Dr. II. 84. Glauca pedes fluitans vestis laxatur ad imos.

---

*Vg. Aen. III. 332. Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.
Or. 818. Aggreditur iuvenem, securum obtruncat ad aras.
Dr. VIII. 151. Qui Priamum gladio fervens obtruncet ad aras.

Vg. Aen. III. 150. Extuleram, visi ante oculos astare iacentis.
Or. 821. Astitit ante oculos genetrix sua non ut inermis.
Dr. Dd. I. 388. Ante oculos astare suos, pater, inde maritus.
cf. Dr. Dd. I. 393. Constitit ante oculos nullo velamine tecta.

Verg. Aen. XI. 88. Ducunt et Rutulo profusos sanguine currus.
Or. 895. Sacrilegum superum, perfusum sanguine matris.
Dr. Dd. II. 289. ..... perfusum sanguine fratris.
cf. Or. 723. Ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.
Dr. Dd. III. 259. Thebanos proprio perfudit sanguine muros.

b. Loci Ovidiani.

*Ov. Met. VIII. 477. Impietate pia est. Nam postquam pestifer ignis.
Or. 8. Impietate pium, reprobae probitatis Oresten.
Dr. V. 257. Impietate pius, ne Claudius esset adulter.

Ovid. M. III. 423. Oris et in niveo mixtum candore ruborem.
ibid. III. 491. Et neque iam color est mixto candore rubori.
Or. 127. Permixtus candore rubor pallore fugato.
Dr. X. 229. Permixto pallore rubens non lumina vibrat.

Ovid. M. VI. 614. Aut ego, cum facibus regalia tecta cremabo.

Or. 430. Dulcis amoris erat, cum regia tecta cremabat.
Dr. X. 483. Anguibus horrendis per regia tecta flagellant.
cf. tamen Verg. Aen. VII. 668. XI. 447.

Ov. M. XIII. 761. Quid sit amor, sentit validaque cupidine captus.
Or. 452. Quid sit honestus amor, multae docuere puellae.
ibid. 916. Quid sit amor, sponsae, ...
Dr. II. 64. Noscant quid sit amor, discant tua tela puellae.

Ovid. M. I. 772. Nec longus patrios labor est tibi nosse penates.
Or. 661. Nec labor ullus erit mulierem sternere turpem.
Dr. Dd. II. 200. Omnia cum fierent, sic nec labor ullus erit, iam.
cf. ibid. I. 445. Nec rubor ullus erat, cum staret origo pudoris.

---

*Ovid. M. II. 607. Candida puniceo perfudit membra cruore.
Or. 792. Candida puniceo rutilantur membra cruore.
cf. ibid. 524. Pallida puniceo perfuderat[3]) ora cruore.
Dr. VIII. 519. Candida sic roseo perfundens membra rubore.
V. 283. . . . . cum membra cruore
Perfundat . . . .
X. 158. Candida puniceis subduntur colla rosetis.
X. 102. Sic ubi puniceos rutilans Aurora capillos.

Ov. Amor. II. 12. 6. In qua, quaecumque est, sanguine praeda caret.
Or. 881. Sanguine corda carent, non est haec hostia grata.
Dr. X. 246. Sanguine membra carent, iam non erit hostia grata.
ibid. 302. Sanguine templa carent . . . . . .

c. Loci Lucanei.

*Luc. VII. 684. Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt.
Or. 175. Prospera bellorum quem sic fecere superbum.
Dr. Dd. III. 370. Intulit et miles bellorum prospera flevit.

---

*Luc. V. 677. Fortunamque suam tacta tellure recepit.
Or. 239. Rex rate descendens tacta tellure triumphat.
Dr. VIII. 434. Et se cum sociis tacta tellure refovit.

Luc. IX. 701. Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Or. 532. Laetus et indomitus, tumida cervice supinus.
Dr. IV. 20. Nam mihi reptantes tumida cervice dracones.

---

*Luc. VII. 201. Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum natura diem . . . . .
Or. 682. Reddidit interea rutilum post astra refundens
Depositum natura diem . . . .

3) perfuderat A., Baehr: perfundens.

Dr. Dd. I. 680. Purpureis abscondit equis, redditque diurne
Depositum natura suum sub nocte sepultum.

---

*Luc. IX. 866. Ingressis. coeunt ignes stridentibus undis.
Or. 683. Depositum natura diem, stridentibus undis.
Dr. VIII. 371. Oceano nudante rotas stridentibus undis.

---

*Luc. VIII. 599. Immanis violentus atrox nullaque ferarum.
Or. 710. Apparet violentus atrox Pylades in aula.
Dr. V. 268. Civis adest violentus atrox mea fata requirens.
Or. 213. Egredere praeventor atrox: violentus Atridis.
Dr. VII. 12. Impubes lascivus atrox violentus amoenus.

---

*Luc. VI. 754. Miscetur morti; tunc omnis palpitat artus.
Or. 728. Et male partitos per vuluera palpitat artus.
Dr. V. 281. Cum gemit et moriens tremibundos palpitat artus.
X. 244. Non torta cervice iacet, male palpitat artus.

d. Loci Statiani.

Stat. Theb. V. 247. Et mecum fortasse cades. his motus et artus.
Or. 188. Nam mecum miser ipse cades Agamemnone viso.
Dr. VIII. 550. Et mecum fortasse cades, si tela sequentur.

---

*St. Achill. II. 174. Hinc aliae quas sexus iners naturaque ducit.
Or. 195. Altera sexus iners residens miseranda quid audet.
Dr. Dd. III. 457. Et quasi sexus iners fragili sub corpore mollis.
id. Satisf. 218. Non caderent puer aut femina sexus iners.

---

*Stat. Theb. I. 184. Fraternas acies fetae telluris hiatu.
Or. 474. Rumpe solum, findatur humus telluris hiatu.
Dr. X. 462. Quo steterat Medea loco telluris hiatu
Finditur . . . .
id. Dd. III. 396. Quid? Romanus eques vasto telluris hiatu.
cf. tamen: Silius Ital. IX. 540 . . vasto telluris hiatu.

Stat. Theb. VI. 442. Anticipasse viam; nec non et Thessalus heros.
Or. 480. Exegit mortem de virgine Thessalus heros.
Dr. VIII. 47. Memnone belligero, damnatur Thessalus heros.

Stat. Theb. I. 21. Aut defensa prius vix pubescentibus annis.
cf. ib. 571. . . . primis et pubem ineuntibus annis.
Or. 527. Non pudet, o iuvenes, dixit, pubentibus annis.
Dr. Satisf. 227. Non furit in Venerem nondum pubentibus annis.
cf. id. Dd. I. 384. Virgo decora, rudis, matura tumentibus annis.

e. Loci Claudianei.

Claud. XXIII. 214. Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta.

Or. 162. Quae sexus armata dolis sub fraude latenti.
Dr. II. 111. Armat tela dolis et spargit spicula Nymphis.

Claud. XXXIV. 40. Et totiens uno victor ab hoste redis.
Or. 506. Extinxit, cui victor eram regressus ab hoste.
Dr. Sat. 204. Me pugnante comes, victor ab hoste redis.

Cld. Epith. Laur. 79. Ite pares tandemque toro recubate petito.
Or. 547. Ite pares animis . . .
Dr. VIII. 648. Ite pares sponsi, iam omina tetra probastis.

f. Subiungendi sunt mihi etiam versus, quibus uterque auctor pariter est usus, horum poetarum:

Propert. V. 5. 51. Aut quorum titulus per barbara colla pependit.
Or. 60. Regia virgo cito per patria colla pependit.
ibid. 229. . . . . per rustica colla pependit.
cf. 644. . . . . per dulcia colla ruebat.
Dr. Dd. II. 561. Redditur argentum scelerata ad colla pependit.

Senec. Med. 866 sq. Flagrant genae rubentes Pallor fugat ruborem.
Or. 127. Permixtus candore rubor pallore fugato.
Dr. Dd. I. 65. Et viola est mentita rosam pallore fugato.
cf. id. X. 229. Permixto pallore rubens, non lumina vibrat.
VI. 8. Lilia mixta rosis candor pallorque ruborque.

Idem Med. 49. Haec virgo feci, gravior exurgat dolor.
Or. 660. Hinc dolor exurgat, hinc famae pulchra cupido.
Dr. VIII. 55. Sic dolor exurgit divum, sic ira polorum.

Id. Trd. 55 sq. Caret sepulchro Priamus et flamma indiget
Ardente Troia. non tamen superis sat est.
Or. 277. Et[1]) caret igne rogi, dederat qui Pergama flammis?
Dr. VIII. 144 sq. Invadet pereunte domo: iam Troia crematur,
Sed flammis rex ipse cares . . . .
ibid. 150. . . . qui damnet Pergama flammis.

Sil. Ital. XIII. 652. Oscula vana petens . . .
Or. 61. Oscula pura petens . . .
Dr. II. 38. Oscula nata petat . . .
id. II. 6. Oscula pura rogans . . .

Idem IX. 406. Velle ac nolle ambobus idem . .
Or. 293. Velle fuit commune viris et nolle duobus.
Dr. Dd. I. 367. Velle pares et nolle pares, stans una voluntas.
cf. Sallust. Cat. 20. 4: Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

---

1) et codd., Baehr.: en.

Juvenal. VI. 284 sq. . . . . Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos de crimine sumunt.
Or. 234. Plus magis audaces animos de crimine sumunt.
Dr. De deo III. 461 sq. . . . . audacius illis
Deprensis nihil est, animos de crimine sumunt.

Tertull. carm. de Iudic. Dom. 184:
Submissique omnes genibus veneranter adorant.
Or. 48. Ingreditur templum supplex, veneranter adorat.
Dr. Dd. I. 4. Auctorem confessa suum veneranter adorent.
(**Sedul.** V. 432. scriptura nutat, sunt enim qui non 'veneranter adorant' legant, sed 'venerantur, adorant'.)

B. Aliae versuum particulae colliguntur, quae utrobique occurrunt.

Or. 2. Victoris pro laude necem, festiva cruenta.
Dr. X. 601. Relligionis honos, cum dat pro laude pericla.
Dr. Dd. III. 431. Crimen amicitiam reputans, pro laude periclum | Intulit.

Or. 11. Thracia virginitas ubi[1] (?) dat de clade salutem.
Dr. Dd. III. 448. Invenisse magis, cui dent post bella salutem.

Or. 12. Fraude pia mendax melior germana sacerdos.
Dr. X. 325. Virginitatis onus melior tolerare sacerdos.

Or. 13. Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
14. Et pede dactylico resonante quiescat iambus.
Dr. X. 20. Vel quae grande boans longis sublata cothurnis
21. Pallida Melpomene tragicis cum surgit iambis.

Or. 15. Da valeam memorare nefas laudabile nati.
Dr. Dd. I. 749. Ut valeam memorare tuas hoc carmine laudes.
cf. Dr. VI. 32. Ut valeam cantare tuos per vota triumphos.

Or. 28. Puppibus Argolicis rex Pergama victa reportans.
v. 636. Ibat ab Argolicis progressus puppibus audax.
Dr. IX. 66. Puppibus Argolicis Phrygios quis diriget ignes.

Or. 38. Quae aptabat pietatis amor vel origo paterna.
Dr. VIII. 221. Nate redux pietatis amor, bonus arbiter Idae.
cf. Dr. X. 131. Tu princeps pietatis, Amor, te praeduce mundo.

Or. 39. Non tamen aequa simul meritis animisque futuris.
Dr. VI. 44. Pro meritis animisque virum? puer alme Cupido.

Or. 41. Interea findebat iter per caerula ponti.
Dr. Dd. I. 676. Ni gelidis animetur aquis per caerula ponti.

---

1) cui A.

Or. 42. Irato tranquilla deo recidentibus euris.
Dr. Dd. II. 156. Tu rursus reprimis flatus, recidentibus euris.
cf. ibid. 454. . . . portantibus euris.

Or. 55. Agmine pro Danaum cultro feriente litatam.
Dr. Dd. III. 358. Relliquias cladis gladio feriente necavit.

Da veniam Or. 69. 744. Dr. IX. 49. X. 416. Satisf. 311.

Or. 86. Plectriferi germana dei, Letoia Phoebe.
Dr. X. 285. Plectriferi germana dei, mirata repente.

Or. 90. Luctibus ac missis donans lamenta parentum.
Dr. II. 51. Hinc nomen plus posse tuum. lamenta parentis.

Or. 77. Nomina vestra tenens, quasi iusseris ipsa venirem.
Dr. VIII. 263. Insinuare decet: si iusseris ipse loquentur.
cf. Dr. II. 43. Parva loquor. tauro, si iusseris, altera regis.

Or. 91. Mucro sacerdotum fervet ieiunus et expers
92. Sanguinis humani, contentus sanguine vili.
Dr. X. 80. Circumdent et mucro cadat ieiunus ad aras.
203. Vel quidquid natura creat, si sanguinis expers.
206. Sanguine virginei tantum contenta pudoris.
cf. Satisf. 173. Haec bona simplicitas praestat ieiuna cruoris.

Or. 97. Cornibus armatas lunata fronte iuvencas.
Dr. VIII. 419. Committitque duces armata fronte iuvencos.
Dr. Dd. I. 273. Cornibus erumpunt armata fronte iuvenci.

Or. 101, simill. Drac. IX. vv. 51 et 52.

Or. 108. Interea dum carpit iter spumantibus undis.
364. . . . tumide spumantibus undis.
Dr. VIII. 71. Troianum carpebat iter. vix viderat arcem.
450. Perceptum dum carpit iter festinus ad urbem.
Satisf. 313. Sessorem dum carpit iter si corneà pulsans.
Dr. Dd. I. 149. Et mare navigerum quatitur spumantibus undis.

Or. 109. Fama Mycenaeas volitans repleverat oras,
110. Advenisse ducem ditatum sorte duelli.
Dr. VIII. 442. Nuntia fama ducis totam repleverat urbem,
443. Advenisse Parin Troiano sanguine cretum.
Dr. VIII. 116 sqq. Nuntius interea totam compleverat urbem
Fama volat per templa deum, quod pastor ab Ida
Se velut ostendit regni de stirpe creatum.
cf. Dr. VIII. 653. Ditetur (clade Pelasgum) et v. 344.. sors cassa duelli.

Or. 111. Nec mora: praeda venit palmatis puppibus omnis.
Dr. Dd. I. 371. Nec mora iam venit alta quies . . .
Dr. VIII. 245. Nec mora . . . X. 453. Cur mora? . .

Or. 113. Moenia femineis replentur cuncta catervis.
Dr. Dd. III. 511. Millia femineis numerantur ubique catervis.

Or. 116. Qua visa cessere loco matresque nurusque.
Dr. VIII. 180. Cedo loco si forte meo pius esse recusat.

Or. 118. Publica planctigeris execrans gaudia votis.
Dr. Dd. III. 368. Publica funereo turbantur gaudia luctu.

Or. 119. Anxia sollicito quatiuntur corda pavore.
Dr. VIII. 104. Vera fides pietas quatiunt mox corda parentum.

Or. 121. Atque oculos per cuncta iacit, mandante timore.
Dr. Dd. I. 348. Tunc oculos per cuncta iacit, miratur amoenum.
cf. Dr. X. 199. Forte oculos per tecta levat, videt ecce volantem.
cf. Dr. VIII. 445. . . mandante Lacaena. et X. 178. . . mandante tyranno.
Verba 'per cuncta' eodem versus loco posita sunt: Dr. II. 153 VI. 65. VII. 98. VIII. 491. X. 165.

Or. 127. Permixtus candore rubor pallore fugato.
Dr. X. 229. Permixto pallore rubens, non lumina vibrat.
VI. 8. Lilia mixta rosis candor pallorque ruborque.
Dd. I. 65. Et viola est mentita rosam pallore fugato.
(cf. praeterea Dr. II. 66. 112. VII. 46. et VIII. 499. VIII. 106. 500).

Or. 128. Et lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus.
Dr. Dd. II. 641. Saepe verecundos faciunt nova gaudia vultus.

Or. 130. Nec vult scire moras, tantum contenta quod absit.
Dr. Dd. II. 348. Invasura fretum, tantum contenta moratur.
Dr. X. 206. Sanguine virginei tantum contenta pudoris.

Or. 137. (436). Longius exclamat: salve regina Pelasgum.
Dr. VIII. 366. Regis Alexandrum iuvenem regina Pelasgum.

Or. 144. Tempus adest et fata iubent et culpa per urguet.
Dr. VIII. 535. Hoc nam fata iubent vel nos hoc Iuppiter urguet.
X. 510. Tempus adest 'pergamus', ait . . . . . .
cf. Dr. VIII. 68. Mens et fata iubent. . . X. 375. Si Lachesis, si fata iubent. . .

Or. 146. (cf. v. 950). . . . (scribendum est) censura polorum.
Dr. Dd. I. 92. Omnibus et nullum feriat censura Tonantis.
Dr. Dd. I. 544. Exsurgit censura Dei. . Dd. II. 408. Supplicio censura Dei. .
cf. Dd. III. 353. Intulit ostendens, quae sit censura parentis.

Or. 148 (734). Victima carnificis nati post funera patris.
Dr. IX. 176. Ire nec extincti cognoscit funera patris.
Post funera: Or. 94. 148. 202. 734. — Drac. X. 25. Dd. II. 554. 650. 760. III. 490.
Post fata: Or. 443. 450. 471. 472. — Drac. V. 323. VII. 24. VIII. 17. IX. 2. 12. 16. 105. X. 413.

Or. 161. Auribus[1]) attonitis lascivus quaerit Egistus.
Dr. X. 463. Finditur. attonitas inclinat cautior aures.

Or. 164. Occidimus: redit ille meus post bella maritus.
Dr. VIII. 545. Occidimus regina pares, nos Graia iuventus.
X. 228. Occidimus. torpescit iners antistita Phoebes.
cf. Dr. V. 48. Dum victor post bella redit, cum testis imago.
Post bella: Or. 242. 377. 464. 521. — Drac. II. 94. IV. 28. V. 17. 48. 97. 121. 163. VIII. 54. 296. IX. 34. 196. Satisf. 175.

Or. 171. Letifero mucrone ferus. spes nulla salutis.
Dr. V. 13. Letifero mucrone premens. sub imagine civis.
X. 181. Nudato mucrone furens. delubra subibant.
cf. Dd. II. 600. . . . . spes una salutis.

Or. 173. Gloria belligeri feriatur et arma tyranni.
Dr. Dd. III. 271. Vestibus indutus famuli petit arma tyranni.

Or. 174. Et prior occumbat quam nostros sentiat ignes.
Dr. II. 28. Si Pallas placeat, nostros iam sentiet ignes.
cf. VII. 53. Et prior ante sui . . . . . .

Or. 179. Nec volo tam multi sceleris reperdere fructum.
Satisf. 164. Sed sceleris fructus sceptra paterna tenet.

Or. 191. Semper iners securus erit[2]), qui perculit hostem.
Dr. IX. 131. Nec tamen hinc securus eris, ...
VIII. 309. Audiat Alcides patriam qui perculit hosti.

Or. 192. Et patet insidiis nullo terrente quietus.
Dr. V. 169. Non patet insidiis nisi divitis atque propinqui.

Or. 194 (cf. 867). Unaque natarum cinis est per templa Dianae.
Dr. X. 10. Serviat et Scythicae currat per templa Dianae.

Or. 200. Exemplumque recens tibi iam superaddo Lacaenam.
Dr. X. 427. Mortibus amborum regem superaddo Creonta.

---

1) auribus codd., Baehr.: oribus. — 2) erit A., egit B., Baehr.: agit.

Or. 202. Vivere felicem post funera tanta quiete.
Dr. X. 25. Cum rapuere rotis post funera tanta nocentem.

Or. 224. Sic solet anguis hians obsesso fonte venenum.
Dr. Dd. I. 287. Promitur anguis hians quatiens sub dente venenum.
Dd. I. 638. Reptat hians anguis per sibila guttura pandens.

Or. 233. Regia puppis adest variis ornata coronis.
Dr. V. 145. Lauro cincta tua vestris ornata coronis.

Or. 236. Officio stat quisque suo: celatus adulter.
Dr. Dd. III. 101. Stabat in officio iam iam feriturus amatum.

Or. 243. Iuppiter astriferam stellata fronte coronam.
Dr. X. 513. Accipe virgo libens auratam fronte coronam.
cf. Dd. III. 620. Scena capillorum, fundens a fronte coronam.

Or. 244. Atque coruscantes fundebat vertice flammas.
Dr. X. 558. Squamea, cristato radiabant vertice flammae.
Dd. II. 487. Plusque coruscantes flammas, quam fulmina vibrat.

Or. 248. Pergit et ad thalamos post publica limina portae.
Dr. VI. 119. Pergitur ad thalamos, convivia laeta celebrant.
cf. VIII. 74. . . . . iacuerunt limina portae.

Or. 249. Inpia quae reducem fallaci voce salutat.
Dr. VIII. 90. Pastor et attonitos elata voce salutat.

Or. 250. Belliger armipotens, cultus depone minaces.
Dr. VIII. 328. Belliger armipotens animarum iudicis heres.

Or. 251. Atque habitus dignare pios, vix pacis amator.
Dr. Dd. III. 146. Pacis amatores merito, iusteque creavit.

Or. 252. En tibi vestis adest nostro contexta labore.
Dr. Dd. I. 532. Rupis, et ex foliis vestis contexta caducis.

Or. 253. Aurea purpureo radiantur fila colore.
Dr. X. 260. Blattea puniceo radiabant stamina filo.

Or. 254. (cf. 882). Dixit et exutum tutanti tegmine regem.
Dr. Dd. I. 636. Squameus exuitur stellato tegmine serpens.
Dr. X. 72. Flectis et exutum telo candente Tonantem.

Or. 260. Ac diademalem frangit cum vertice frontem.
Satisf. 33. Et diademalem turparunt cornua frontem.

Or. 261. In partes hinc inde duas; geminantur et ictus.
Dr. Dd. II. 161. In partes hinc inde duas . . .

Or. 263. Regina laudante manum rex concidit insons.
Dr. V. 67. Tortoris laudare manum, pro divite poenas.

Or. 267. Concutit ora ferox spumantia dentis adunci.
Dr. Dd. II. 275. Vinea ne pereat sub morsu dentis adunci.

Or. 268. Et perdit vacuos elisis[1] (?) morsibus ictus.
Dr. Dd. III. 202. Morsibus illisis, ne bestia membra iacentis.

Or. 274. Antra movens tripodasque ciens et plectra fatigans.
Dr. Dd. I. 652. Ossa tenens venasque ciens undansque medullas.

Or. 284. Clade repentina premitur Pelopeia virgo.
Dr. Dd. I. 30. Clade repentina nunquam punire nocentes.

Or. 297. Cornipedem si quisque levem frenabat habenis.
Dr. X. 157. . . . . roseis frenantur abenis.

Or. 298. Hoc similis faciebat amor; proludere telis.
cf. Dr. VI. 4. Facundos vos fecit amor . . . .
V. 298. Quem praetextatum iaculis proludere iussi.

Or. 303. Et paribus votis Pollucem Castor amavit.
Dr. VI. 117. Exoptant paribus votis . . . cf. Dd. I. 368.

Or. 304. Mortibus alternis et vitae damna repensant.
Dr. X. 581. Mortibus alternis et mutua fata minantur.
Dd. III. 516. Unde nihil lucri, sed vitae damna tulere.

Or. 305. Vestibus induitur Tyriis homicida et adulter.
Dr. VIII. 482. Vestibus indutus Tyriis et murice regni.
X. 258. Vestibus indutum Tyriis quas sericus ambit.
Dd. III. 68. Vestibus indutus Tyriis processit, et ostro.
271 Vestibus indutus famuli petit arma tyranni.

---

ast ubi: Or. 124. 310. 566. 753. 838. — Drac. VIII. 357. 400. 582.

Or. 333. Emollit Cytherea trucem per praelia Martem.
cf. Dr. V. 210. Hannibalisque trucem fregit per bella furorem.

Or. 341. Murmure sollicito flentes haec dicta loquuntur.
Dr. X. 201 et 236. Murmure sollicito . . . . .
cf. VIII. 378. Aiax, magne, tuus. Priamo tua dicta loquemur.

---

1) Baehrens: conlisis.

Or. 346. Et non infami prostratus morte periret.
Dr. VIII. 44. Troiaque ut infelix urbs tantum morte periret.
V. 256. Cum pater egregiam prostravit morte puellam.

Or. 347. Crimine cum gentis Danaum, cum clade suorum.
Dr. X. 416. Da veniam, Medea precor, cum clade suorum.

Or. 355. Fingere quod pelagus rabidum demersit Atridas.
Dr. V. 405. Et rabidum pelagus temnunt latrantibus undis.
cf. V. 73. Aut pelagi rabidos fluctus... VIII. 595. Quod pelagi rabies.

Or. 356. Fluctibus aequoreis. qui stans in litore dixit.
Dr. Dd. II. 137 (787). Fluctibus aequoreis . . .

Or. 364. Et mare caeruleo (?) tumide spumantibus undis.
Dr. Dd. II. 155. Et mare caeruleum rapiant super aethera nimbi.

Or. 367. Et querula sic voce boat: pro Iuppiter, hostis.
Dr. VII. 105. Illa tamen querulas miscet male garrula voces.

Or. 377. Saevior unda maris, quae nec post bella pepercit
Pignoribus Danaum . . . . . .
Dr. VIII. 54. Concidit, infanti nullus post bella pepercit?
Satisf. 175. Caesar ubique potens hosti post bella pepercit.

Or. 387. Visceribus vacuis, exhausti sanguine fuso.
Dr. Dd. III. 147. Nunqnid et immites, qui gaudent sanguine fuso.

Or. 389. Regis culpa fuit, qui exhausit civibus urbem.
Dr. Dd. III. 354. Nam neque culpa fuit. Patriae pugnando triumphum.

Or. 397. Temporibus licitis blandos recerpite somnos.
Dr. Dd. I. 392. Affectusque novos blandi genuere sopores.

Or. 390. Conisus viduare nurus, orbare parentes.
Dr. VIII. 630. Aut quantas per bella nurus viduare parata.
V. 6. Matronas, orbare patres, iugulare propinquos.

Or. 401. Deliciis epulisque bonis refovete senectam.
Satisf. 122. Captivosque tuos deliciis epulas.
cf. Or. 854. Dr. Dd. I. 414. Deliciae . . . 455. Deliciis . . Satisf. 73. Delicias . .

Or. 402. Pignora natorum dulces nutrite nepotes.
Dr. X. 324. Quid furis? exspecta dulces de prole nepotes.
Dd. I. 406. Sanguinis ingeniti natis nutrite nepotes.

Or. 405. Iam sperare licet vel praeter vulnera ferri.
Dr. IX. 178. Complexae per colla tenent et vulnera ferri.

Or. 408. Et tumulum sibi quisque paret post busta perennem.
cf. Dr. VIII. 610. Tunc pater absenti tumulum formabat inanem.
IX. 91. Visibus. Andromache tumulum sibi formet inanem.
V. 115. Haec igitur recidiva viget post busta resurgens.

Dixerat et: Or. 412. 693. — Drac. VI. 111. VIII. 103. 211. X. 237. 280. 360. 461. 515.

Or. 422. Quis, rogo, non gemeret? tamen hos formido iubebat.
925. Quis, rogo, sacrilegus, quis demens audeat almos.
Dr. Dd. III. 204. Quis, rogo, tam saevas ... 361. Quis, rogo, dux ...

Or. 423. Infami parere bonos: timuere bubulcum.
Dr. Dd. III. 646. (cf. Sat. 35). Persarum dominus timuit post regna bubulcum.

Or. 424. Acrius, Hectoreos qui non timuere furores.
Dr. Dd. III. 187. Amphitheatrales qui non tremuere furores.
cf. Satisf. 140. . . acrius .. furit. Dd. III. 605 .. licet acrius uri.

Or. 429. Si fecit Medea nefas, flammata dolore.
Dr. X. 383. Cognovit Medea nefas .....
371. ..... flammata nitore.

Or. 439. (901). Crimen adulterii cumulasti caede mariti.
Dr. VIII. 655. Crimen adulterii talis vindicta sequatur.

Or. 441. Manibus eripuit, pia coniugis, impia de se.
Dr. Dd. III. 48. Illi quippe, magis qui proditur impius in se.

Or. 442. Quid loquar Euhadnen Thebanis ignibus ustam.
Dr. II. 36. Sive, parens, optas homines his ignibus ustos.

Or. 443. Et post fata viro flamma crepitante sodalem.
Dr. VII. 24. Et post fata deos .....
Dd. II. 775. Et facit angelicas flamma crepitare cohortes.

Or. 447. Et simul ad manes in pulvere coniugis ivit?
Dr. Dd. III. 498. Quae simul infernas cum coniuge venit ad umbras.

Or. 450. Inpia sacrilego nupsit post fata marito.
Dr. X. 313. Indicat ignoto passim nupsisse marito.

Or. 451. Pronuba flamma fuit, thalami rogus et pyra lectus.
Dr. VII. 61. Pronuba Iuno venit .. X. 268 ... pronuba Iuno.

Or. 461. Evomit in gemitus voces et verba doloris.
Dr. VIII. 401. Solvitur in gemitus lacrimosae vocis amaros.

Or. 463. Prosperitas cui saeva fuit, victoria crimen
Intulit et mortem peperit post bella triumphus.
Dr. Dd. III. 369. Poenituit vicisse ducem, cui gloria mortem
Intulit et miles bellorum prospera flevit.

Or. 466. Iratos audisse deos, placata negabant.
Dr. X. 187. Ante preces audisse deam. mox numen adorans.

Or. 471. Si sensus post fata manent, post membra soluta
472. Si remanent animae, si stat post fata superstes
Spiritus . . . . . .
Dr. IX. 2. Si meritum post fata manet, si fama superstes.
12. Si sensus post fata perit, cur busta negantur?
18. Sunt animae post membra piae . . .

Or. 478. (solvat adulter) Tot poenas, quot membra gerit . . .
simill. Dr. X. 296. Funera tot videat, fuerint quot pignora mater.

Or. 481. Moribus innocuis tu dux inpune relinques.
Dr. VII. 110. Moribus innocuis, sancta pietate modesti.
cf. Dd. I. 366. Cordibus innocuis . . . . .

Or. 482. Tot scelerum auctores victricia regna tenere?
Dr. Dd. II. 459. . . . . regna tenere.

Or. 485. Mittite virgineas funesta in tecta cerastas!
Dr. X. 555. Corpora saeva parens funestos mittit in ignes.

Or. 488. Non estis Furiae, si quaeritis ante rogari
489. Ad quodcunque nefas, si non et sponte nocetis.
Dr. X. 457. Si Furias saevire precor nec sponte nocetis,
458. Non estis Furiae . . . .
De deo II. 467. Alterius quodcunque nefas? . . .
cf. Dr. VI. 24. Sponte venire decet, non te decet ire rogatam.
X. 27. Dulcior ut venias, nunc te decet ire rogatam.

Or. 492. Moenia tartareis quondam sacrata tenebris.
Dr. Dd. III. 402. Inter tartareas sic descendisse tenebras.

Or. 493. Et claro privata die sub luce diurna.
Dr. Dd. I. 425. Temporis esse vices noscentes, luce diurna.

Or. 503. Debuerat famularis amor, quem pessima coniux.
Dr. IV. 18. Compellor. genitor, te in nosmet pessima coniux.

Or. 508. Ultor adulterii, quem fudit adultera coniux.
Dr. V. 77. Ultima cena datur, quam praestat adultera coniux.

Or. 509. Nec timuit foedare domum, maculare penates.
Dr. V. 74. Nec timeat . . . 117. Nec timet . . .

Or. 510. Impete mortifero subita tum fraude profana.
Dr. Dd. III. 326. Hostibus aptatas, funesta fraude profanas.

Or. 512. Sed ne plura loquar, vera est Cassandra locuta.
Dr. Dd. III. 177. Et ne plura loquar, tua sunt quaecunque videntur.

Or. 518. Flatibus alternis perflans commercia somni.
Dr. Dd. I. 591. Flatibus alternis redeunt commercia vitae.

Or. 523. Tristis iners tremulus, gemitu suspiria rumpens.
Dr. X. 223. Corda calent oculique labant, suspiria rumpunt.

Or. 528. Vestitos sub flore genas lanugine crispa.
Dr. Sat. 228. Nec sub flore genae marcidus est iuvenis.
Dr. Dd. III. 624. . . lanugine malae | Crispantur . . .

Or. 530. Quod pastor mea regna tenet promotus in arcem.
Dr. IX. 129. Abdicas? me vita pia promovit ad urnam.

Or. 531. Sanguinea mercede? cluat sub crimine multo.
Dr. Dd. III. 556... sub crimine cuncto. Dd. II. 403... sociati crimine multo.

Or. 538. Atque adfine nefas . .
719. Praecipitate nefas . . } 'nefas' pro 'nefarius'.
Dr. VIII. 165. Macteturque nefas . . cf. Or. 735.

Or. 539. Nullum crimen erit matrem punisse nocentem.
Dr. X. 543. Spiritus in ventos. satis est punisse nocentes.

Or. 545. Dignus adulterii vindex, pius ultor et heres.
Dr. Dd. I. 740. Atque oppressores Deus opprimit et pius ultor.

Or. 558. Pectora cor sensus animum praecordia mentem.
Dr. Dd. II. 42. Pectora cor sensus animum praecordia mentem.

Or. 560. Affectus natura pudor reverentia fama.
Dr. X. 129. Affectus natura genus fons auctor origo.

Or. 561. Transigo funereum materna in viscera ferrum?
Dr. X. 224. Marcida funereum laxavit dextera ferrum.

Or. 562. Quae perpendo [1]) diu, bisquino mense peracto [1]).
Dr. Dd. II. 681. Donec ventris onus bis quinis mensibus actis.

Or. 563. Conceptus portare meos, stimulante dolore.
Dr. Dd. II. 316. Conceptus damnare (suos) . . . .
Dr. VIII. 578. Affectu stimulante rapi, cum pignora mater.

Or. 575. Facta luat pastor solusque superstite matre.
Dr. Dd. III. 577. Ut mea facta luam, tempus convenit in unum.

Or. 576. Conruat et patrios manes satiabo cruore.
Dr. V. 66 et VIII. 613. . . . . satiare cruore.

Or. 581. Dentibus infrendens suspiria traxit ab imo.
Dr. VIII. 584. Et gemit infrendens amissum nobile pignus.

Or. 583. Increpitat: si sensus iners tua corda tepescit.
Dr. VIII. 349. Haec legatus ait. regis iam corda tepescunt.

Or. 586. Imus ad Argolicas veniam donare Mycenas.
Dr. VII. 68. Nescit enim senibus veniam donare Cupido.

Or. 588. A scelus indignum, poenis ferienda duorum.
Dr. Dd. II. 512. Ah scelus atque nefas! insontem turba reorum.

Or. 601. Victima servaris, fuerit nisi victima mater.
Dr. X. 207. Eripe me his invicte malis. ego victima servor.

Or. 604. Ad tumulum patris fundantur membra reorum.
Dr. X. 440. Turpia vipereae funduntur membra cerastae.

Or. 608. Truncet in extremo gemitu fera colla duorum.
Dr. Dd. I. 105. Donec in extremos gemitus recidente ruina.
306. Humida sortitur tellus fera colla leonum.

Or. 618. Dentibus inlisis frendebat murmure morsus.
Dr. VIII. 355. Dentibus inlisis et pectore grande remugit.
Dr. Dd. III. 203. Morsibus illisis ne bestia membra iacentis.

Or. 620. Matris in amplexus infamia membra ligantis.
Dr. Dd. III. 614. . . . iam nervis membra ligantur.

Or. 627. Mentibus [2]) armantur; solis mucronibus usi.
Dr. VIII. 285. Dixerat. at Telamon mentes armabat in iras.

---

1) Baehrens: perpessa . . . . per athla(!) — 2) mentibus codd, Baehr.: tenuibus.

Or. 630. Donec in infames iugulos vindicta veniret.
Dr. V. 271. Id quod in hostiles iugulos ex urbe tulisti.
Dr. Dd. I. 101. Donec ab excelsis veniat vindicta coercens.

Or. 632. Dardana nocturnus peteret cum castra viator.
Dr. VII. 22. Vesticolae niveos peteret cum virginis artus.

Or. 633. Sollicitum carpebat iter, non indice cornu.
Dr. VIII. 71. Troianum carpebat iter. vix viderat arcem.

Or. 635. Sed pede suspenso tacitus sine flatibus oris.
Dr. Dd. I. 289. Atra venena nocens missurae flatibus oris.
Dr. Dd. I. 513. . . . . sine flatibus ullis.
596. . . . calidis nunc flatibus ora.

Or. 643. Dum transire parant, Dorylas cognovit Oresten.
Dr. VIII. 398. Obriguit per membra Paris, transire parabat.

Or. 644. Cuius in amplexum per dulcia colla ruebat.
Dr. VIII. 160. Rumpite complexus quos dant per colla parentes.
111. Mox iuvenem complexa tenet per colla per ora.
623. Dulcia colla tenent et vultibus oscula figunt.
IX. 178. Complexae per colla tenent et vulnera ferri.

Or. 646. Cessimus insidiis, dum luxuriatur adulter.
Dr. V. 75. Praedo, iuvet petulans ut luxurietur adulter.
cf. Dr. X. 74. . . . . bacchetur adulter.

Or. 654. Quod superest cita poena reis. properate, sodales.
Dr. X. 279. . . properate, ministri. 448. . . properate, sorores.

Or. 671. Gaudia dant gressus celeres, quos denegat aetas.
Dr. VIII. 110. Dat celeres pietas gressus, quos denegat aetas.
cf. IX. 92. . . . . quam denegat hostis.

Or. 674. Et venturus erit vindex sub luce futura.
Dr. IX. 31. Adventurus eris, pietas si sancta manebit.
Dr. Dd. II. 548. Iudicio venturus erit post saecla futuro.

Or. 681. Altera pars aedes, pars obsidet altera muros.
Dr. Dd. I. 647. Mortua pars hominis quoties, pars viva iacebat.

Or. 686. Et memor illorum dextram cum voce tetendit.
Dr. X. 395. Et Lunam manibus tensis cum voce precatur.
cf. II. 127. . . . . dextramque tetendit.

Or. 693. Dixerat et trepidus muros circumspicit[1]) hospes.
Dr. Dd. II. 186. Telluremque novam circumspicit impiger hospes.

Or. 696. Os Agamemnonium gressus oculosque manusque.
Dr. Dd. I. 396. Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla manusque.

Or. 708. 'Venit Orestes', ait, sed statim credita non est.
Dr. VIII. 159. Provida non credor: vos saltem surgite cives.

Or. 713. Ore fremens et fronte minax mucrone coruscus.
Dr. VI. 58. Ore micans ac fronte minax et crine coruscans.
II. 25. . . . . mucrone coruscet.

Or. 716. Sperastis vos posse manus? modo saeva luetis
717. Supplicia scelerum non una morte perempti.
Dr. VIII. 298. . . . . si dudum parva luistis
Supplicia? . . . . .
Dr. Dd. III. 605. Supplicia scelerum: merear licet acrius uri.
Dr. IX. 136. (X. 586. Dd. III. 47.) . . morte peremptis.

Or. 725. Saucia membra trahunt famuli pede vincla ligantes.
Dr. Dd. II. 623. Femina deterius praemortua membra trahebat.

Or. 727. Ossibus effractis minuunt per mille secures.
Dr. Dd. II. 114. . . per mille catenas. Dd. I. 310 . . per mille colores.

Or. 738. Et manibus iugulata meis super ossa mariti.
Dr. X. 443. Si manibus laniata meis mala victima vestros.
135. In manibus iam Iuno meis supplexque locatum.

Or. 744. Da veniam, miserere, precor, miserere parentis.
Satisf. 311. Da veniam, miserere, precor, succurre roganti.
Dr. X. 416. Da veniam, Medea precor, cum clade suorum.

Or. 753. Ast ubi nil potuit mulier de prole mereri.
Dr. VIII. 284. Non valuit' dicent 'rector de rege mereri'.

Or. 755. Si placet ulcisci genitorem, dixit, in ambos.
Dr. II. 52. Si placet ulcisci . . (lamenta parentis) . .

Or. 758. Sit(?) scelerum complex et nostri criminis auctor.
Dr. X. 419. Sit vindex, regina, tuus, qui criminis auctor.

Or. 765. Aut operae pretium capiatis sorte malorum.
Dr. V. 83. Est operae pretium, sperant sua praemia culpae.

---

1) circumspicit A., Baehr.: circum inspicit.

Or. 766. Supplicio sociante nefas discreta iacebis.
Dr. Dd. I. 540. Supplicio sociante duos, relevare reatum.

Or. 768. Sancte pater[1]), quia sensus iners et spiritus extas.
Dr. I. 12. Sancte pater, o magister, taliter canendus es.

Or. 775. Sol pietas elementa poli mare flumina tellus.
Dr. II. 47. Quod natura creat, caelum mare sidera tellus.
IX. 228. Aëris innocui caelum mare Tartara tellus.
Dr. Dd. III. 542. Per quem celsa poli, tellus mare, sidera constant.

Or. 776. Et rerum natura parens tuque atra vorago.
Dr. Dd. III. 541. Et rerum natura parens famulata tremiscit.
Dr. IX. 117. Imposito natura parens, non congruit aether.

Or. 782. Atque tenebroso subtexitur aëre caelum.
Dr. X. 399. Atque tenebrarum splendens patrona mearum.

Or. 785. Laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinys.
Dr. VIII. 512. Reginam laudabat amans, culpare maritum.

Or. 787. Concidit et tunicam manibus tendebat ad imos
Usque pedes metuens . . . .
Dr. II. 84. Glauca pedes fluitans vestis laxatur ad imos.
Concidit et . . . Dr. VIII. 74. IX. 92. X. 315.

Or. 793. Verbere corporeo pressas quatiebat arenas.
Dr. VI. 78. Verbere purpureo Cypris iubet ire, iugalis.

Or. 796. Sic duo terribiles fulva cervice leones.
Dr. Dd. I. 277. Impia terribiles producit terra leones.

Or. 800. Pars dolet Atriden et pars dolet altera matrem.
Dr. Dd. II. 508. Pars pretium perdit, perdit pars altera mercem.

Or. 804. Oceano stridente rotas, redeunte sorore.
Dr. VIII. 371. Oceano nudante rotas stridentibus undis.

Or. 805. Roscida somnigerum revocabat palla soporem.
Dr. Dd. II. 521. Tum niger axis erat, quem lurida palla tegebat.

Or. 807. Nuntius Hermione venit de virgine rapta[2]).
Dr. VIII. 585. Atrides sic maestus erat de coniuge rapta.

---

1) pater A., Baehr.: parens. — 2) rapta codd. (-tam B), Baehr.: pacta.

Or. 812. Sponsa toris promissa meis! tu regna guberna.
Dr. VIII. 223. . . . . regnum sub pace guberno.

Or. 824. Ingerit in faciem iuvenis, mortale minatur.
Dr. Dd. II. 254. Addo, quod innumerae pestes, mortale minantes.

Or. 832. Ut scelerata manus macularet sacra deorum?
Dr. Dd. III. 255. Ausi omnes scelerare manus de morte suorum.

Or. 836. Per freta per campos per silvas flumina montes.
Dr. X. 39. Per freta per rabidas hominem transire procellas.

Or. 842. Quo, meretrix, percussa iaces: feriere secundo.
Dr. V. 158. Ipse Neoptolemus iacuit percussus ad aras.

Or. 851. Mater erat quicunque fuit, vicinus ubique.
Dr. Dd. III. 588. Vel quicunque fuit, subito discessit amicus.

Or. 858. Ingemit, ac nullus cibus est, sed imago ciborum.
Ingemit et . . . Dr. VIII. 73. 576. IX. 43. X. 310.

Or. 862. Dum deflent omnes et tota plangitur urbe.
Dr. VIII. 598. Moenia iustitio foedant et plangitur urbe.

Or. 863. Alter adest gemitus, tristis dolor et metus ingens.
Dr. VIII. 420. . . . . metus excutit ingens.

Or. 881. Sanguine corda carent, non est haec hostia grata.
Dr. X. 246. Sanguine membra carent, iam non erit hostia grata.
243. . . . . non est haec victima digna.
302. Sanguine templa carent . . . .
Dr. Dd. III. 108. Hostia grata iacens et victima mente quieta.

Or. 890. Conscendere patres templum praebente Minerva.
Dr. VIII. 381. Conscendere ratem . . . . .

Or. 894. Sanguinis oblitum, humani iuris egenum.
Dr. Dd. III. 341. Sanguinis oblitus fecit de patre novercam.

Or. 906. Tempore sit modico vivax laniando cadaver.
Dr. Dd. I. 648. . . . . vivax in morte cadaver.
Dr. V. 280 et Dd. III. 398. vivum . . cadaver.
Dr. IX. 78. Hectoreum si forte canes laniare cadaver.
Dd. III. 249. Nec tamen aeternum modico pro tempore quaerat.

Or. 911. Summates Danaum, sapientes lumine cordis.
Dr. Dd. I. 473. His semel assumptis reserantur lumina cordis.

Or. 931. Forsitan obiciat: fuerant cur ergo furores?
Dr. V. 198. Forsitan obicias: urbis defensor habetur.
Dr. Dd. II. 457. Forsitan opponant homines delicta fatendo.

Or. 935. Arguit unus iners, quem[1]) comprobat ordo deorum.
Dr. IV. 14. Privigno, natum quem comprobat esse Tonantis.

Or. 938. Dixit et imposuit moderata silentia linguae.
Dr. Dd. II. 680. Mox vindicta datur per longa silentia linguae.

Or. 937. Purgatum sub iure deum, sub sorte benigna.
Satisf. 131. Nemo cadet sub iure tuo sub morte cruenta.
Dr. Dd. II. 682. Fundatur de ventre puer sub sorte beata.
Dr. X. 412. Advenient sub lege pari, non sorte sub una.

Or. 946. Dicitur et procerum talis sententia fertur.
Dr. Dd. I. 545. Et vitae mortisque simul sententia fertur.

Or. 947. Si decreta deum homini tractare liceret.
Dr. V. 224. Si leges tractare placet, veniatur ad illas.

Or. 951. Quis temerator(?) erit caelestia iura movere?
Satisf. 153. Sacrilegis referens caelestia iura catervis.

Or. 957. Sitque redux patriae nullo damnante reatu.
Dr. Dd. III. 429 et 508. . . . nullo surgente reatu.
Satisf. 19. Sic mea corda deus nostro peccante reatu.

Or. 964. Aëris et pelagi terrae caelique potestas.
Dr. Dd. II. 92. Aëris et pelagi, sed non capiendus ab isdem.
Satisf. 213. Contulit absenti terrae pelagique triumphos.

Or. 966. Vos bona simplicitas, affectus sanguinis orat.
Satisf. 173. Haec bona simplicitas praestat ieiuna cruoris.
Dr. Dd. II. 804. Quid bona simplicitas, quid noxia vota reportent.

Or. 970. Quae thalamos fecere rogos, et facta Thyestis.
Dr. X. 107. Conscendit factura rogos . . . . .
521. . . rogus est mox aula tyranni.

Or. 973 sq. cf. Drac. X. 572 sq. et 588.

1) quem codd., Baehr.: quae.

§ 2. De simillima vocabulorum usitatorum suppelectile.

Tritis atque usitatis vocabulis cum Orestea reliqua carmina concinere hac commentationis meae parte demonstraturum docere me primum oportet, quam similem verborum delectum in una re vel actione variis vocibus exprimenda uterque poeta habuerit. Idcirco, cum brevitati serviam, substantiva, quae 'navem' significant, ac verba ad interficiendi nomen referenda conquisivi, propter frequentationem ea maxime idonea ratus, quibus simillima vocum varietas dilucide perspiciatur. Cum enim vocabula poetica 'puppis', 'ratis', 'carina' sescenties obviam fiant, simplicem 'navis' vocem, quam vulgare quid ac pedestre ei sonuisse opinor, adeo vitari videmus, ut uno tantum loco (VIII. 399.) existat. Idem sole ipso illustrius verborum, quae ad occidendi nomen pertinent, collatione fit, quae non minus septendecim apud utrumque auctorem pariter nobis occurrunt et hic secundum literarum ordinem disposita sequuntur: amputo Or. 22. 145. Dr. VIII. 158. — consumo Or. 269. 703. Dr. V. 113. — extinguo Or. 21. 100. 206. 338. 506. 574. 596. Dr. IV. 47. V. 100. 277. IX. 176. — ferio Or. 55. 149. 173. 223. 259. 262. 344. 588. 748. 842. Dr. V. 189. 276. 312. VI. 114. VIII. 21. 179. X. 208. 418. 421. 422. 545. — fundo Or. 508. Dr. II. 99. — iugulo Or. 4. 738. Dr. V. 6. 15. 101. VIII. 602. — lanio Or. 909. Dr. V. 156. IX. 78. X. 443. — macto Or. 169. 770. Dr. V. 150. 318. VIII. 165. 170. 612. X. 31 (bis). 59. 78. — neco Or. 23. 540. 756 (bis). 898. Dr. II. 155. V. 7. 26. 95. 101. 119. 203. VIII. 21. IX. 113. X. 445. 544. — obtrunco Or. 818. Dr. VIII. 151. — occido Or. 427. Dr. IX. 54. 127. 183. — percello Or. 191. Dr. VIII. 21. — percutio Or. 392. 495. 522. 621. 691. 772. 842. 879. 902. — Dr. IV. 33. V. 156. 158. 304. — perimo Or. 717. 722. 954. Dr. V. 82. 228. IX. 94. 136. 191. X. 586. — populare Or. 270. Dr. De deo II. 496. — prosterno Or. 346. 577. Dr. V. 2. 136. 190. 256. 264. VIII. 192. — sterno Or. 190. 542. 661. Dr. IV. 34. VIII. 51. 129. — trunco Or. 608. Dr. V. 25. 247.

Namque si quis, hanc usurpationem spectans, Dracontiana carmina cum poematibus ab aliis poetis contextis in comparatione coniunxerit, nisi mens eius hebetissima ac plane occaecata erit, talem verborum concordiam casu et fortuito factam esse nec plurimum valere non audebit contendere. Veluti antistes omnium vatum Romanorum Vergilius, quem imprimis ad imitandum se delegisse Dracontius ipse palam fatetur (cf. VIII. 20 sqq.), ex illis verbis 'amputo', 'prosterno', 'trunco' respuit, at verba, quae neque Oresteae, quamquam praeclara occasio dabatur, neque ceteris Dracontii epylliis aptata sunt, adhibuit plura: 'absumo, concīdo, confodio, decīdo, deleo, disperdo, divello, divido, exscindo, haurio, immolo, interimo, interficio, perdo, perfodio, perforo, perfringo, rapio, traicio, transfigo, transigo, transverbero', eundemque pervulgatum 'navis' vocabulum praeter voces poeticas 'carina', 'puppis', 'ratis' operibus saepissime immiscuisse omnes sciunt. — Eidem fere rationi in Metamorphoseon libris Ovidii occurrimus, qui verba 'amputo, obtrunco, occīdo' aspernatur, vocabulis 'aufero, caedo, detrunco, eneco, exanimo, interimo, opprimo, perdo, rapio' Dracontium superat. — Aeque Apollinaris Sidonii carmina, si subtilius quaesiveris, his vocibus differre cognosces, ubi verba 'amputo, iugulo, lanio, neco, obtrunco, prosterno, trunco' me legisse non memini, licet finitimis abundent vocesque idem declarantes 'frango' et 'sterno' iterum ac tertio terantur.

Quae differentia ei, qui, ut par est, totidem versus, quot Orestea continentur, non universa carmina collustrat, multo dilucidior fit, cum in Aeneidis libro decimo, qui ex versibus nongentis octo constat, verba 'amputo, consumo, extinguo, fundo, iugulo, lanio, neco, percello, percutio, populo(r), prosterno, trunco' desiderentur itemque Corippi Iohannidis liber quartus, ex versibus mille centum septuaginta uno compositus, quem eodem consilio percurri, verbis 'amputo, consumo, lanio, iugulo, percello, percutio, populor, trucido' egeat, quamquam proelium atrocissimum ibi depingitur. Quibus religiose allatis, ex re ac tempore pronuntiare non supersedeo, in septem libris Iohannidis voces

'consumo, lanio, iugulo, percello, populor' omnino deesse, semel 'extinguo (Joh. IV. 1053), amputo (V. 644), percutio (VI. 382), obtrunco (IV. 1099), trucido' (VII. 550) emergere, saepissime 'prosterno, sterno, macto, trunco' deprehendi.

Ex reliquarum vocum, quae huc pertinent, copia, cum operis exiguitate, ne omnem materiam effundam, impediar, arctioribus finibus circumscriptas depromo:

anguis Or. 224. 823. Dr. IV. 46. 53. V. 285. — aspis Or. 852. Satisf. 65. — cerastes Or. 485. 822. Dr. VII. 49. X. 440. 490. Dd. I. 297. II. 223. III. 294.

culter Or. 55. 83. 879. — ensis Or. 69. 398. 495. 724. 756. 763. Dr. V. 190. — ferrum Or. 19. 190. 405. 658. Dr. cf. V. 1. — gladius Or. 537. 615. 813. 843. Dr. cf. IV. 36. V. 191. — mucro Or. 91. 171. 627. 752. 841. Dr. II. 25. IV. 29. 47. 50. V. 13. 276. — telum Or. 609. Dr. V. 37. 274.

rogus Or. 277. 451. 822. 837. Dr. IV. 52. X. 107. — pyra Or. 451. Dr. X. 106.

proles Or. 393. 553. Dr. VIII. 6. 264. — soboles Or. 864. Dr. IV. 40. VI. 82. VIII. 6.

ignarus Or. 35. 271. 570. Dr. VIII. 592. — nescius Or. 35. 414. Dr. II. 93. VIII. 594. — rudis Or. 414. Dr. II. 12.

quietus Or. 192. 202. Dr. II. 79. V. 222. VI. 64. — securus Or. 191. 700. 730. 818. 913. Dr. V. 221. IX. 131.

incolumis Or. 535. 919. Dr. VII. 143. — sospes Or. 534. 918. Dr. V. 162.

consors Or. 760. Dr. VIII. 264. 283. X. 408. — particeps Or. 316. 495. Dr. X. 408.

armipotens Or. 104. 250. 426. Dr. Satisf. 200. — belliger Or. 173. 250. Dr. V. 265. VIII. 47. 328. — bellipotens Or. 27. Dr. IV. 42. VIII. 318.

atrox Or. 213. 710. Dr. V. 268. VII. 12. 157. — crudelis Or. 376. 409. Dr. V. 139. — ferox Or. 149. 392. Dr. cf. II. 29. — ferus Or. 171. 210. Dr. V. 206. VII. 14. — minax Or. 713. Dr. VI. 58. — terribilis Or. 733. 796. Dr. V. 138. — torvus Or. 795. Dr. VIII. 322. — trux Or. 155. 258. 333. 486. 494. 624. 711. 715. Dr. cf. IV. 17. V. 210. — turbidus Or.

170. 220. 366. Dr. V. 266. VIII. 291. — violentus Or. 213. 710. Dr. II. 4. V. 268. VII. 12.

cruento Or. 750. Dr. IX. 166. Dd. I. 456. III. 280. — foedo Or. 6. 433. 509. Dr. V. 144. 151. 293. — maculo Or. 509. 832. Dr. Dd. II. 510. — polluo Or. 647. Dr. V. 128. 160.

attollo Or. 18. Dr. IX. 7. — erigo Or. 17. 258. 617. Dr. V. 201. — excito Or. 17. 606. Dr. VII. 130. — levo Or. 18. Dr. III. 19. VI. 27.

Quorum vocabulorum, si comparandi causa rursus aliorum quoque poetarum usum respicimus, apud Vergilium 'aspis, cerastes, particeps, belliger' desunt, uno loco (Aen. XI. 8) 'bellipotens' pro 'Mars' legitur; Ovidius in libris Metamorphoseon conscribendis 'aspis, cerastes, incolumis, armipotens, belliger, bellipotens' non adhibuit; Corippus, cum 'armipotens' Joh. IV. 565. 587. V. 512. VII. 534, 'belliger' I. 540. II. 91. IV. 480. V. 502. VI. 384. 417, 'ensipotens' IV. 925. VI. 420 usurpaverit, nusquam, quod miror, 'bellipotens' arripuit.

Deinde creberrimam iterationem vocum prae ceteris iucundarum maximum momentum facere arbitror, quibus ut Dracontius pariter atque Oresteae auctor iisdem delectetur, ne fortuito cecidisse videatur, denuo elegantissimorum poetarum Vergilii et Ovidii carmina et Iohannidem Corippi, humillimi spiritus versificatoris, qui locutiones repetere neutiquam dubitat, mecum scruteris et quotiens iis ipsis vocibus utantur, liquido cognoscas velim. Ac verba *quatio* (Or. vv. 119. 222. 264. 273. 634. 793. Dr. V. 12. 239. VII. 31. 122. VIII. 104. 530. 569. 642. IX. 107. X. 98. 139. Dd. I. 149. 188. 287. II. 285. III. 572), *ligo* (Or. 620. 699. 725. 880. Dr. VI. 10. VII. 8. VIII. 616. X. 49. 486. 488. Satisf. 48. Dd. I. 233. 543. II. 84. 189. 787. III. 394. 582. 614. 640. 644), *armo*, quod in Orestea quaterdecies, in aliis carminibus Dracontianis minoribus vicies et quater occurrit, cum poematibus pangendis aptissima sint et ideo omnes poetae libenter ea colant, Oresteae auctorem aeque ac Dracontium in deliciis habere nimis valde non miror, tametsi neminem alium adeo modum excessisse neque ullo verbo pariter duos poetas tantopere delectari securo animo affir-

mare possum. Corippus quidem in Iohannide condenda quamquam verbo 'quatio' I. 213. III. 36. IV. 685. 691. 890. 1072. 1159. V. 5. 20. VII. 559 usus est, saepius tamen ibidem 'quasso' reperitur, cf. I. 356. II. 215. 295. 449. 485. III. 259. IV. 327. 763. 959. 1006. 1043. V. 17. 348. 615. VII. 230. 408. Multo maius pretium constituendum est, si quid iudico, repetitioni vocum, quae sequuntur: sexus Or. vv. 162. 185. 195. 318. 330. 334. Dr. II. 29. VIII. 53. 599. Sat. 218. Dd. II. 792. III. 383. 457. — iners Or. 195. 276. 453. 523. 583. 768. 935. Dr. V. 237. 313. VIII. 224. 362. X. 228. 237. Sat. 134. 218. Dd. II. 619. III. 150. — sollers Or. vv. 189. 292. 335. 354. 460. 611. 637. 874. Dr. VIII. 45. 357. 459. 580. IX. 52. 200. 225. Dd. II. 18. 63. III. 221. 243. — vilis Or. 92. 177. 413. Dr. VIII. 23. 98. 215. 319. 447. IX. 28. 219. Dd. II. 454. III. 220. — lascivus Or. 128. 161. 230. Dr. II. 46. VI. 30. 59. VII. 12. VIII. 410. X. 52. 94. 122. 263. 587. Dd. III. 344. Etenim apud Vergilium 'sexus' substantivum nusquam, adiectivum 'sollers' semel Georg. IV. 327 ('custodia sollers'), 'lascivus' bis: Buc. II. 64 ('lasciva capella') et III. 64 ('lasciva puella') invenitur; Ovidius 'sexus' item devitavit, 'sollers' duobus locis (Metam. IV. 776 'sollerti astu' et XIII. 37 'sollertior isto'), tribus 'lascivus' adhibuit; in Corippi Iohannide voces 'sexus' IV. v. 1112, 'iners' I. 271. II. 459. VII. 284, 'sollers' V. 466. VI. 242. VII. 537, 'vilis' III. 361. VII. 80 offeruntur, 'lascivus' desideratur.

Quibus adice vocabula, quae utroque loco extant: 'censura' Or. 146. 950. Dr. Dd. I. 92. 544. II. 408. III. 353. — cas. abl. 'impete' Or. 259. 510. Dr. Dd. I. 557. 102. 609. — 'carnifex' Or. vv. 148. 721 (c. secures). 880. Dr. V. 66 (c. flammas). 247. — 'ieiunus' Or. 91 (mucro). Dr. V. 89. VIII. 26. 304. X. 80 (mucro). Sat. 173. 269. Dd. III. 171. — 'mysticus' Or. 59. Dr. VII. 113. VIII. 182. X. 195. — 'congruus' Or. v. 186 et Dr. Dd. III. 665. — 'plectibilis', quod Or. v. 426 et Dr. Dd. II. 269. 455 idem atque 'poena dignus' declarat. — 'grassari' Or. 156. Dr. Dd. II. 287. 400., grassator Dr. V. 189. — 'boare' Or. 367. Dr. X. 20. V. 27. Ex quo vocum numero in Vergilianis carminibus tantum 'ieiunus' et 'mysticus', in Ovidii Metamorphoseon libris 'ieiunus'

et 'impete' (III. 79 'impete nunc vasto') obviam veniunt, in septem Corippi Iohannidis libris tantum vox 'ieiunus' (V. 319) posita est, reliquae frustra quaeruntur.

Denique has locutiones, quae utrobique occurrunt, a conspectu nostro abesse nolo: 'nefas gerere' Or. 370. Dr. X. 582. — 'regnum gubernare' Or. 812. Dr. VIII. 223. — 'redhibere' Or. 231 (vicem). 777 (vices). Dr. Sat. 177 (facultatem). — 'facta luere' Or. 575. Dr. Dd. III. 577; cf. 'luere supplicium' Dd. III. 61. 'veniam donare' pro 'dare' Or. 586. Dr. VII. 68, cf. Sueton. Domit. 9 'aliquem venia donare in praeteritum. 'Donare' pro 'dare' vulgus dicere solebat.

§ 3. De vulgari qui dicitur sermone utriusque auctoris proprio.

Scriptorum latinorum inferioris aetatis operibus satis multa vulgaris linguae vestigia cum notum sit deprehendi nec Dracontius plebeio sermone abstinuerit, iam nobis inquirendum est, quatenus hoc usu Orestea cum reliquis carminibus Dracontianis consentiat. Hoc tamen loco non omnes voces et constructiones vulgares, quae pariter in Neapolitana epyllia atque in Oresteam irrepserunt, illustrabuntur, sed ut ratione ac via disputatio procedat, reliquas, ubi de Africanae et aliis senescentis iam latinitatis proprietatibus disseram, infra reperies inclusas. Agamus ergo

A. De verborum formatione.

1. De deminutivis.

Usum deminutivorum in sermone cotidiano frequentissimum fuisse, excussa novi Testamenti interpretatione latina, quam Vulgatam vocant, ubi integra substantiva graeca latine interdum deminutis redduntur, cum Roenschius [1]) p. 93 sqq. monuit tum recentiorum linguarum nominibus a deminutivis latinis derivatis Woelfflinius [2]) comprobavit, veluti voces 'soleil, abeille, fratello' respondere liquet vocabulis latinis 'soliculus, apicula, fraterculus'. Eandem rem praeter alios, qui e variorum scriptorum libris varia attu-

1) Herm. Rönsch, 'Itala und Vulgata' Marburg und Leipzig 1869. — 2) Philolog. tom. 34, p. 153 sqq.

lerunt exempla [1]), subtiliter, ut solet, Lorenzius in praefatione ad Plauti Pseudolum [2]) attigit, ubi deminutiva latina aptissime in quatuor partes divisa reperiuntur. Quibus novum documentum Koehlerus l. c. p. 6 adiecit, oppositis inter se Plinii maioris, quem deteriore Vitruvio scriptore usum esse Detlefsenius Philol. tom. 31, p. 385 sqq. luculenter demonstravit, loco 31, 57 et Vitruviano 8, 7, 10, illius fonte, quorum altero deminutivo 'tubulus', altero eadem res voce integra 'tubus' exprimitur. Simillime Oresteae quoque auctor in versu 822 ad imaginem Vergilii versus Aen. 4. 472 efficto substantivum 'facibus' deminuto nomine *faculis* commutavit, cui hoc loco deminuendi vim abesse versu 855 ostendit, ubi Vergilii auctoritatem secutus eidem Orestis matri faces, non faculas tribuit. Saepe vero deminutiva Oresteae reliquisque Dracontii epylliis intexta deprehendi, cave existimes. Illic enim 'facula' vocem quoniam commemoravi, quae apud Plautum (Pers. 4. 3. 46) iam extat itemque, quod valde miror, in Vulgata pro face (gr. λαμπάς) singulariter posita est (cf. Rönsch, l. c. p. 95), relinquitur vox *muliercula*, quae v. 578 propter metri, opinor, necessitatem vocis ibidem usitatissimae 'mulier' vicem obit; hinc erui substantivum sine causa deminutum *conchula* (Sat. 74) (cf. Cels. 2. 29. Val. Max. 8, 8, 1. App. mag. p. 297, 1), vocabulum nusquam alibi adhibitum *rosula* (Dd. II. 441) et perrarum adiectivum *fessulus* (X. 123) (cf. App. Anech. 19), quocum contendere mihi liceat: 'limatulus' (Cic. fam. 7. 33. 2) [3]), 'lassulus' (Catull. 63. 35) [4]), 'comptulus' (Hieron. ep. 128. n. 4) [5]).

1) cf. Stuenkel, 'de Varroniana verborum formatione'. Argentorati 1875 p. 54. — Roensch l. c. p. 99. — Albr. Koehler 'de auctorum belli Afric. et belli Hisp. latinitate'. Diss. inaug. Erlang. 1877 p. 7. — al. — 2) Plaut. Pseudolus ed. Lorenz. Berol. 1876. p. 57 sqq. — 3) alia Stinner 'De eo quo Cicero in epistulis usus est sermone' p. 11. — cf. *G. Landgraf*: 'Blätter f. das Bayerische Gym.- u. Real-Schulwesen' Bd. 16 (1880) p. 319. — 4) Frid. Heussner 'Observatt. gramm. in Catull. Veronens. librum'. Diss. inaug. Marburg. 1869 p. 36 sqq. plura eiusmodi adiectiva e Catulli carminibus congessit. — 5) C. Paucker 'de lat. scriptt. hist. Aug.' p. 59* sexcenta e scriptis recentiorum auctorum enotavit.

2. De compositione verborum.

Haud raro in sermone cotidiano praepositionibus additis verborum vim augeri tantummodo et corroborari, propria illarum significatione neglecta, maximeque verba 'a d, d e, r e' particulis conformata pro simplicibus frequentari, certatim viri docti nostra aetate demonstraverunt alius exemplis aliunde petitis [1]). Quod quamquam poetis vel optimis nonnumquam usu venire non ignoro (cf. Verg. Aen. XII. 903 'recognoscere' pro 'cognoscere' vel 'agnoscere'), tamen mihi temperare non possum, quin locos simillimos ascribens pro argumento ponam composita verba Dracontiana, quae simplicium potestatem habent: *adoro* (V. 167. Prop. I, 4, 27 'maneat sic semper, adoro'), *adopto* (Dd. III. 530. Sat. 270), *defleo* (IX. 175. Dd. II. 536. Or. 862. Prop. I, 16, 13 'gravibus deflere querelis' cf. Lachmann. ad Manil. 4. 747), *repeto* (VIII. 156), *retineo* (IX. 140. Sat. 77) (cf. Plaut. Epid. 4, 1, 32. Capt. 2. 3. 82. Prop. 2. 22. 5), *recerpo* (Or. 397), *reperdo* (Or. 179). 'Deflens' pro 'flens' etiam Hist. Apoll. Reg. Tyr. 28, 17 'et cum haec et his similia deflens diceret' legitur, verba 'recerpo, reperdo, adopto' pro simplici 'opto' alibi nusquam animadverti. — Neque ab instituto alienum erit subiungere verba cum prava praepositione copulata 'agnosco' = cognosco (X. 91), 'depositum' = expositum (X. 594), 'recurrere' = adcurrere (VIII. 109. Dd. I. 599), 'exspectare' = aspectare (IX. 21. Dd. I. 356) cf. 'exspecto' pro 'specto' Stat. Silv. 5. 2. 21 'exspectatur equus', quae praepositionum commutatio, apud clarissimos poetas rara, quantopere per posteriorum, etiam prosae auctorum opera serpat, cum Pauckerus scriptorum historiae Augustae locis doceat, in vulgari sermone potissimum viguisse videtur.

1) cf. Philol. 34. 157 sqq. — *Guericke,* 'de ling. vulg. reliquiis apud Petron. et in inscriptionibus parietinis Pompeianis'. Gumbin. 1875. p. 38 sq. — *Rebling* 'Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache'. Prog. Kiel 1873 p. 17. — *Lorenz,* l. c. adn. 86. — *Koehler,* l. c. p. 16 sqq.

B. De orationis partium singularum usu.

1. De adiectivo.

a. De comparatione.

In gradu comparativo et superlativo adhibendo vulgus rationis ac grammaticae leges non semper sequi, sed ex lubidine interdum gradus permiscere cum alii viri docti[2]) docuerunt tum summus linguae latinae scrutator Woelfflinius in libello, qui inscribitur 'Lateinische und romanische Comparation' Erlangen 1879, copiosissime probavit. Ex his scriptis praeter alia discimus, superlativum et comparativum propriam vim sensim amisisse, cum et superlativi cum comparativo coniuncti aut 'magis' adverbio corroborati exempla proponantur et comparativi imminuta atque obscura vis inde appareat, quod ei iam Plautus et Terentius, deinde Augustea aetate Vitruvius, postea Valerius Maximus, Apuleius, Commodianus, Oribasius, alii cumulate 'magis' adverbium addiderunt, pro qua 'magis' voce inde a Commodiani temporibus etiam 'plus' a plebe comparativo adiungitur, idque 'plus' in lingua italica, francogallica, provinciali omnia iura in comparativorum formatione sibi vindicavit, at 'magis', quod Hispani retinuerunt, Francogallis in particulam adversativam 'mais' abiit (cf. Koehler 'de auctt. b. Afr. etc.' p. 42 sq., Woelfflin. 'lat. u. rom. Comp.' p. 42 sqq.).

Orestea in hac quoque re cum reliquis Dracontii carminibus egregie consentit; nam neque 'magis' ita applicatum usquam invenimus, neque 'plus'.

Contra creberrime utroque rursus loco obviam se offert sine magis adverbio comparativus pro positivo collocatus (Or. vv. 12. 58. 78. 89. 137. 607. 835. Dr. V. 131. VIII. 92. 155. 520. 624. IX. 54. X. 177. 315. 467. 554. Sat. 91. Dd. III. 99), de qua usurpatione Woelfflinium l. c. p. 66 sq. ita iudicare videmus: 'Dieser comparativus inutilis, wie ihn Duhn im Index zu Dracontius p. 104 nennt, spielt im

1) Joh. Nep. *Ott*, Jahrbb. f. class. Philol. 1875. pp. 787 sqq. — *Hellmuth* et *Koehler*, 'Acta sem. Erlang'. I. 34. 35. 410. 411. — *Landgraf* 'de Cic. elocut. in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino conspicua'. Wirceb. 1878. p. 30. — cf. Rönsch, l. c. p. 279.

Spätlatein eine grosse Rolle; wer ihn läugnen wollte, müsste entweder manche Stellen in höchst gezwungener Weise erklären oder gar an einer streng grammatischen Erklärung verzweifeln' cf. Kaulen[1]) p. 138., Hassenstein[2]) p. 30., Zink[3]) pp. 45. 46., Thielmann[4]) p. 4. Verumtamen iam apud Ciceronem Sen. 16, 55 'Senectus est natura loquacior' (cf. Kaulen p. 139) legimus, Ovidius Trist. 4, 8, 2 scripsit 'iam subeunt anni fragiles et inertior aetas', ubi et propter copulationem positivi et comparativi et propter Tibull. carm. 1, 1, 71 'iam subrepet iners aetas' comparativus idem manifesto ac positivus valet (Woelfflin. p. 67), et apud Catullum versus phalaecii vocibus 'venustiorum, severiorum, beatiorum' et similibus terminari solent, pro quibus comparativis alii positivum adhibent (cf. Act. sem. Erlang. I. 34, 35. Woelfflin. p. 64). Quem inutilis comparativi usum verisimile est ob maiorem syllabarum numerum apud inferioris ordinis scriptores magis magisque increbruisse, a quibus saepe etiam multa deminutiva et intensiva maioris tantum ambitus causa arripiuntur (Woelfflin. p. 67).

Aliud in comparativi et superlativi frequentatione memoratu dignum in carminibus Dracontii minoribus nihil investigavi; in carmine, quod de deo est, semel 'plus' positivo additum occurrit (II. 693 'Plus pius es quam iustus'), de quo Woelfflinius p. 29 sqq. uberius disputavit.

b. De gradatione per adverbia facta, quae in vulgari sermone late patet et quae adiectivi amplificandi ratio, plebeiae elocutionis propria, in romanicas linguas sola recepta est, vix disserere opus est, cum in Orestea et alibi rarissime apud Dracontium legatur. Etenim ex silva adverbiorum, quae Woelfflinius p. 7 sqq. hoc munere fungi ostendit, apud Dracontium deprehendimus

1) Kaulen 'Handbuch zur Vulgata'. Mainz 1870. — 2) Hassenstein 'de syntaxi Ammiani Marcellini'. Regimont. 1877. Diss. Lips. — 3) Zink 'Der Mytholog Fulgentius'. 'Ein Beitrag zur röm. Litteraturgesch. u. zur Gramm. des afric. Lateins'. Würzburg 1867. — 4) Thielmann 'Ueber Sprache u. Kritik des latein. Apolloniusromanes'. Progr. Speier 1881.

utroque loco cum adiectivis, quae bonum quiddam aut iucundum exprimunt, tantum *bene* connexum (Or. v. 300 'bene par', Dr. Dd. II. 728 'bene largus', III. 39 'bene dives egenus') et cum iis, quibus contraria sententia subest, *male* (Or. vv. 707 'male concita', 728. Dr. VII. 105 'male garrula', 127 'male peccavi', 130 'male suscitat iras'), de qua copulatione, utpote vulgari, cum Woelfflinius in Philol. tom. 34. p. 140 [1]) copiose exposuerit, ubi imprimis adverbium 'bene' cum tribus adiectivis 'multus, magnus, sanus' colligatum saepissime in vulgi ore fuisse testatur, non habeo, cur in materia absumpta diutius haeream.

Quo loco cum de adverbiis agatur, liceat perstringere errorem, per quem Schenklius (Proleg. p. 25) labitur, qui in explicando Oresteae versu 395 vocabulum 'nocturna' cum participio 'cubantem' coniungit, quamvis numerum pluralem 'nocturna' cum substantivo 'classica' connectendum esse luce clarius sit (cf. v. 632), et versum 366, quo nunc verba 'funesta plangens' continentur, codice Bernensi auctore sic emendare: turbidus hinc plangens funestam currit ad urbem. Reliquae dictiones *censete severa* (Or. v. 904) et *iuvenale fremens* (Or. v. 617) mirabiles minime videntur, cum copulationes eiusmodi non solum apud poetas (Verg. Aen. X. 572. XII. 398) [2]), sed etiam apud pedestris orationis scriptores inveniantur [3]), quorum omnium creberrime hoc accusativo Apuleius [4]) nec multo rarius Ammianus Marcellinus [5]) utitur.

2. De pronominibus.

Ex pronominum numero primum reflexivum pronomen vituperationem subit. Ut enim demonstrativo pronomine probatissimi scriptores, non poetae solum, et ipse

1) cf. etiam Acta sem. Erlang. I. 132, 412; *Thielmann* 'De sermone Cornific.' in dissert. philol. Argentorat. vol. II. p. 419; *Woelfflin.* 'lat. u. rom. Comp.' p. 14 sq. — 2) cf. Kantecki 'De Prudentii genere dicendi'. Diss. inaug. Monaster. 1874. p. 77; *Neue* 'Formenlehre der lat. Sprache' vol. II. p. 504. — 3) vid. Draeger. 'hist. Syntax der lat. Sprache' (vol. I² Leipz. 1878. vol. II² ibid. 1881) § 171, 2. — 4) cf. Kretschmann 'De latinitate L. Apulei Madaurensis'. Diss. inaug. Regim. 1865. p. 60 sq. — 5) cf. Hassenstein, l. c. p. 10 sqq.

Caesar reflexivum commutare non dubitant, sic reflexivum quoque vicissim pro demonstrativo collocatum, licet boni prosae auctores parcius adhibeant, ut Cicero in prioribus tantum orationibus et in epistulis, omnium aetatum et poetarum et pedestris orationis scriptorum libris continetur, eoque saepius, quo magis literae ab antiquo colore recedentes labuntur et ad interitum vergunt[1]). Cui vulgari dictioni Dracontius valde adhaeret eiusque carmina, ubi leges grammaticae pronomen demonstrativum requirunt, et abunde offerunt reflexivum *suus* (V. 222. VII. 11. VIII. 281. 640. IX. 136. X. 28. 45. Sat. 43. 52. 281. Dd. II. 96. 143. 506. III. 181. Or. 535. 591. 623. 821. 903) et interdum audacissime positum, imprimis Or. v. 623 'quae sensus monuere *suos* cum nocte sopora'. Eadem ratione Francogallorum linguam 'son' pronominis imperium dilatavisse nemo est qui nesciat.

Alterum obiurgatione dignum *ille* pronomen esse arbitror, quod, cum vulgo nimis semper cum reliquorum dispendio placeret iamque Plauti temporibus nonnunquam fere ad articuli definiti vim redigeretur[2]), inde a sexto saeculo post Christum natum, 'hic' et 'is' pronominum, quae in linguis romanicis prorsus interiisse satis notum est, superstes, generaliter definiti articuli partes tueri coepit, vi principali exutum[3]). Ni enim egregie fallor, simili modo Dracontius putida diligentia 'is' pronomen devitat, contra 'ille' oppido amplectitur neque ita ubique arripit, ut uni vocabulo maius momentum addat, immo vero nonnullis locis pronomina 'hic' et 'ille' promiscue usurpata extant. Habet hunc usum Dracontius cum versificatoribus aequalibus com-

1) cf. *Koehler* 'bell. Afr. et Hisp.' p. 49. — *Degenhart* 'De auct. b. Hispan. elocutione et fide historica'. Diss. inaug. Wirceb. 1877. p. 26 sq. — *Kaulen*, p. 143. — *Thielmann* 'Apolloniusroman' p. 29. (cf. Thielmann 'Blätter f. d. Bayer. Gymn.- u. Real-Schulwes.' vol. 16 (1880) p. 125. — 2) cf. Schmilinsky 'De propriet. sermonis Plautini'. Halle 1865. p. 15. — 3) cf. Diez 'Grammat. der roman. Sprachen' edit. tert. vol. III. p. 19. — *Beger* 'Lateinisch u. Romanisch' Berlin 1863. p. 51. 54. — *Rönsch*, l. c. p. 419. — *Kaulen* l. c. p. 144. — *Köhler* 'lat. auct. bell. Afr. etc.' p. 50 sq. — *Thielmann* 'Apolloniusr.' p. 27 sq.

munem dissentitque a poetis, quos aetas Augustea tulit, quorum cum Vergilius, qui neutiquam 'is' pronomen declinat, in carmine Aeneidis nono sedecies voce 'ille' utitur, Corippus totidem secundi et tertii Johannidis libri versibus idem pronomen quadragies quater infarcit. Infracta atque imminuta 'ille' pronominis vis etiam vv. Or. 24. 164. 409. 846. V. 181 cernitur, ubi articuli fere vices sustinere videtur, quod idem Fleckeis. Jahrbb. vol. 127 (1883) p. 570 Rossbergius mecum sentit, qui in versibus Orest. 228 sqq. emendandis lectionem 'redit illa voluptas' his ipsis verbis defendit: 'an dem illa ist kein anstoss zu nehmen, da dies pronomen bei Dracontius bisweilen in ganz verblasster bedeutung, fast wie ein artikel, vorkommt'.

C. De orationis partium inter se rationibus.

1. De praepositionum et casuum relatione.

a. De casuum simplicium compensatione.

Iam supra breviter commemoravimus, plebem sine causa interdum verbis compositis loco simplicium uti, nimio praepositionum amore captam, eamque inclinationem in casibus quoque adhibendis observari posse addendum est. Quod haud scio an optime Koehlerus 'de auct. b. Afr. etc'. p. 74 sq. illustraverit exemplis ex bell. Afric. desumptis 32, 2 'tirones in labore defatigare', 75, 4 'milites sub onere et sub sarcinis defatigati', 18, 4 'ex nausea recenti . . defatigata', Caesarem ei verbo ubique solum ablativum subicere monens. Non vero homines scilicet de plebe natura in hoc more acquieverunt, sed, cum plenioribus eorum oribus casus terminationibus suffixis declarati non sufficerent, cum praepositionibus iunctos simplicibus anteferebant, idque casus dissolvendi ministerium duabus praecipue de et ad praepositionibus paulatim imposuisse videntur. Et profecto genetivi casus praepositione 'de' et ablativo circumscripti et dativi accusativo, qui ex 'ad' praepositione pendet, extincti non pauca exempla leguntur: Schmilinsky 'de propr. sermon. Plaut.' p. 9, Draeger. I^2 p. 459 sq. 628., Rönsch pp. 396. 426., Koehler p. 67 sq. 73, maximeque

Afros ad hanc elocutionem delabi Sittelius[1]) p. 126 contendit. Cur his potissimum praepositionibus ita vulgus utatur vel, ut rectius dicam, abutatur, iterum ex linguis romanicis intellegimus, ubi terminationes plane abolitas 'de' et 'ad' praepositionibus compensari videmus (Diez II[3] p. 13. 15.). Dracontius, quod sciam, nusquam tali modo genetivum dissolvit, at pro accusativo tamen utroque loco in verbo 'tractare' struendo 'de' cum ablativo copulatum occurrit Or. v. 334 *'de* sexu femina *tracto'* et V. 76 *'tractet de* clade viri, *de* morte mariti', quae insignis accusativi tollendi via, quam Koehlerus l. c. p. 72 uberius explanavit, propter metri, opinor, necessitatem bis inita, cum 'tractare de'.. dictionem sumere cogamur pro usitatissima 'tractare aliquid' (cf. imprimis V. v. 175 'necem tractare'), quantum valeat ad dirimendam quaestionem, manifestum est.

b. De dativo eundi et movendi verbis applicato.

Proverbium, quod vetustate contritum est 'res maxime contrarias inter sese proximas esse' potest nonnunquam etiam linguae rationibus comprobari. Quoniam enim adhuc ostendi, plebem ad usurpationem casuum cum praepositionibus iunctorum procliviorem esse, sequitur, ut e contrario dativum breviter perstringam, qui pro accusativo aptae praepositioni obnoxio eundi ac movendi verbis appositus est Or. vv. 46. 157. 242. 245. 287. 356. 363. 386. 413. 456. 516. 804. 889. 957. Dr. V. 37. 183. 217. 278. VII. 87. VIII. 207. 427. 432. 446. 451. 524. IX. 66. X. 40. 515. Dd. I. 366. 382. 400. 580. II. 120. 498. 525. 548. III. 611. Ne autem, nimio rodendi studio abreptus, Dracontio poetarum licentiam praecidere videar, affirmo, bene me nosse gravem Schroeteri commentationem[2]) neque exempla a Draegero H. S. I[2] § 188 et Koehlero l. c. p. 59 ex poetarum et prosae scriptorum

1) Sittl 'Die lokalen Verschiedenheiten der latein. Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins'. Erlangen 1882.

2) Schröter 'Der Dativ zur Bezeichnung der Richtung in der latein. Dichtersprache'. Progr. Sagan 1873. — cf. etiam: *Schäfler* 'die sogenannten syntaktischen Graecismen bei den augusteischen Dichtern'. Progr. Amberg 1884. p. 50 sqq.

operibus conquisita mihi ignota esse, sed nego in hac vitiosa constructione arripienda quemquam tam finem et modum transiisse quam Dracontius, cum nequeam tranquillo animo Schenklio assentiri, qui p. 26 confidenter dicit 'poetae recentissimi eam temere adhibere solent accusativo ubique fere exterminato'. Commodiani dumtaxat 'instructiones' legenti raro haec structura occurrit, neque Corippum immoderate ea usum esse animadverti.

2. De temporibus ac modis.

Plebeio quoque sermoni crimini dandum est, quod sequioris aevi et prosae scriptores et poetae in temporum ac modorum usu a pura et incorrupta scribendi consuetudine longe degeneraverunt, ut nec temporum vim ac sententiam semper curarent, ab omnibus fere vetustioris latinitatis auctoribus diligenter observatas, nec modos quominus ad libidinem inter se miscerent ac turbarent, ulla iis esset religio. Perversam igitur temporum ac modorum utriusque auctoris usurpationem, quae infima tempora plane redolet, una cum aliis rebus, quae eundem colorem prae se ferunt, iam nunc tractare animum induxi, quippe cuius corruptelae a vulgi more profectae plurima exempla ad canam linguae antiquitatem recurrant.

Ac primum quod ad t e m p o r u m usum attinet, quamquam praesens historicum et praeteritum non solum Plautum, verum etiam Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Livium, Senecam sine causa permutavisse Draegerus (H. S. I² § 122) docet, tamen contendere non dubito, neminem alterum haec tempora crebrius atque absurdius Dracontio confudisse, apud quem sine ulla certa ratione *praesens historicum* et *praeteritum* ita variant, ut inter praesentia semel praeteritum et inter haec tempora semel illud temere ac repente ponatur, cf. Or. vv. 37. 62. 129. 158. 219. 238. 247. 257. 288. 318. 365. 415. 785. 901. 942. 961. Dr. II. 81. 88. 94. 148. V. 50. 109. 311. VI. 72 sqq. 97. 102. VIII. 43. 68 sqq. 108 sqq. 219. 252. 287. 379. 388. 426. 484 sqq. 609. 645. IX. 177. X. 221. 265. 321. 364. 431. 517. 564. Quantum igitur Dracontius distat ab optimis poetis, in quorum carminibus praeteritum et praesens historicum ita se invicem excipere

Draegerus (l. c. § 123) dicit 'dass das Praeteritum den Grund, das Praesens die Folge bezeichnet'.

Nec multo rarius alternant cum *futuro* tempore *praesens indicativi* usurpatum Or. vv. 195. 198. 210. 212. 321. 479. 544. 561. 586. 594. 595. 615. 900. Dr. II. 158. V. 153. 188. 317. VII. 144. 145. VIII. 124. 127 sqq. 140. 144 sqq. 180. 229. 241. IX. 65 sqq. 113. 156 sqq. 218. X. 231. 359. 427 et *praesens coniunctivi* Or. vv. 396 (A). 398 (A). 612. 662. 764 (B). 765. Dr. II. 18. 22. 32. 44. IV. 52. V. 284. VIII. 150 sqq. 238. 653 sqq. IX. 91. 126. X. 348 sq. 452. Quod momenti non parvi esse duco, cum post Plautum, ex cuius multis exemplis plebeio sermoni id solitum fuisse Draegerus (l. c. § 139) recte colligit, praesens indicativi pro futuro apud elegantes scriptores rarissime inveniatur nec posteriores aeque ac Dracontius frequentent; coniunctivum certe ita collocatum, cuius usus exempla a Draegero l. c. supposita solas enuntiationes secundarias spectant, equidem in primariis enuntiationibus apud Apollinarem Sidonium duobus tantum locis (in carm. V: 'valebo-taceam' et 'studeam-dabo') investigare potui.

Adde praesens tempus, quod pro perfecto subito obviam venit Or. vv. 69. 71. 141. 314. 392. 562. 750. 846 sq. 954. Dr. II. 55 sqq. 77. 155. VI. 57. VIII. 25. 162. 168. 339. 375 (Draeg. H. S. I² § 121), sicut e contrario perfectum loco praesentis reperiri Hassenstein (p. 50) exemplis Ammianeis comprobavit, et plusquamperfectum, quod, cum tempus imperfectum ibidem expectetur, displicet collocatum Or. vv. 296. 299. 685. 802. 867. Dr. IX. 168. X. 369. Sat. 8. 93. Dd. I. 292. II. 763. 786. III. 212. 444, qua de re consule Koehlerum ('de auct. b. Afr.' etc.) p. 52, Hassenst. p. 51.

Modus autem indicativus in exprimenda interrogatione, quam obliquam vocamus, usurpatus offendit Dr. II. 92. V. 86. VIII. 30. 244. 262. IX. 184 sq. 203. X. 46. 357. 536. Dd. I. 712. II. 258. 674. 803. III. 130. 281, cuius constructionis sescenta exempla ex libris inferioris aetatis auctorum collegerunt: Roensch, l. c. p. 428 sq., Hagen [3]) p. 55,

3) Hagen 'Sprachliche Erörterungen zur Vulgata'. Freiburg im Breisgau 1868.

Jeep 'Claudian. carm.' vol. I. p. LXVIII, Hassenstein p. 38, Thielmann 'Apoll.' p. 40, Meiser 'Boeth. commentarii II' (περὶ ἑρμηνείας) p. 531, Mommsen 'Jordan.' p. 190, alii, quibus Draegerus optime refutatur, qui de eadem structura H. S. II² § 464 extr. iudicat: 'auch aus späterer Zeit ist nur wenig anzuführen', cf. etiam Haase ad Reisig. adnot. 504. Idem modus pro coniunctivo vitiose applicatus est etiam particulae *cum*, quamquam sensum causalem habet: Or. v. 430. Dr. VIII. 558. X. 386 et 387. Dd. II. 669. III. 547. 560, quae dictio Ammiani Marcellini locis ab Hassenstein. p. 42 confirmatur, ubi eiusdem coniunctionis concessivo quoque sensu cum indicativo usurpatae exempla extant.

Contra *dum* particulae rationem temporalem Dracontius Or. vv. 49. 453. 454. V. 12. Sat. 168. Dd. I. 703. II. 372. III. 371. 495 violavit eique coniunctivum imperfecti obsequi voluit. Quod 'dum' temporale non tantum poetae Vergilius, Ovidius, Tibullus, Phaedrus, Martialis, Claudianus cum coniunctivo consociaverunt, verum etiam prosae orationis scriptores eandem licentiam sibi vindicarunt legem grammaticam migrantes, in quibus teste Hoffmanno [1]) ipse Livius est, non solum deteriores Nepos (Timol. 1, 4), Valerius Maximus, Apuleius, et deterrimi [2]), velut Victor Vitens. I. VII 'dum .. admoneret', VIII 'dum .. attingeret', IX 'dum .. arctaretur', II. IX 'dum .. ageremus et promoveremus', V. V 'dum .. penderent'. Quare Servius ad Verg. Aen. I. 697 sane sciendum, inquit, malo errore 'cum' et 'dum' a Romanis esse confusa.

Similiter ablativum gerundii, non pro instrumento positum, sed ita, ut meri participii praesentis locum teneat, praeter Plautum (cf. Truc. 5, 24 'cubando') et Terentium (cf. Eun. 843 'ita miserrimus fui fugitando') adhi-

1) Hoffmann 'Construction der latein. Zeitpartikeln'. Vindob. ed. alt. 1873. p. 172 sqq. — cf. L. *Kühnast* 'Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax'. Berl. 1872. p. 236 sq. — 2) cf. C. Paucker 'Spicilegium addendorum lexicis latinis'. Mitaviae 1875. p. 67 sq. — *Zink*, l. c. p. 58. — *Hassenst.* p. 44 sq. — *Rönsch*, p. 400. — *Hagen*, p. 21.

buerunt: Livius[1]) (v. Kühnast. l. c. p. 256 sq.), Seneca[2]), Tacitus (Hist. 1, 77. ann. 3, 31. 6, 38) (cf. Draeger. H. S. II[2] § 599), Plinius[3]), auctor belli Hispan. (v. Koehler. p. 56 sq.) aliique inferioris ordinis scriptores, quorum exempla sedulo congesserunt viri docti Rebling l. c. p. 13, Rönsch p. 432 sq., Kaulen p. 237, Paucker Ztschft. f. d. österr. Gymn. 32 (1881) p. 494, Ludwig 'Commod. carm. Part. I. Instruct.' Lips. 1878 p. 66, Hassenstein p. 47 sq. Quibus adicio insignissimum locum Augustin. de nupt. et concup. ad Valerium lib. I. cap. 15.. 'fundat volendo suam prolem prius interire quam vivere' et locos Dracontianos: Or. 514 'dixit, et abscedunt omnes *linquendo* sepulcrum', Dd. II. 368 'nil *reputando*', 457 *fatendo*, 496 '*populando* cohortes', 577 *eundo* = iens, III. 103 'non lacrimis *undando* genas, non unguibus ora (104) *dilacerans*', ubi ablativum gerundii 'undando' et participium praesentis 'dilacerans' consociata videmus. Ita omnibus temporibus homines maxime plebeios loqui solitos esse, etiam linguae romanicae testantur, Diezio III[5] p. 256 de hac structura asseverante: 'Diese Casusform erweiterte allmählich ihren Bereich auf Kosten des Part. Praes.' cf. it. cantando = cantans.

Ex aliis constructionibus perlustratis attingere me iuvat coniunctivum, quem omissa 'ut' vocula verba rogandi Or. 936. Dr. VI. 31. VIII. 186. X. 77. 420 et verbum 'iubere' Or. 77. Dr. VIII. 552. X. 73. 197. 256. Dd. I. 733. III. 181 secum ducunt, accusativum cum infinitivo, qui Or. 598. Dr. VI. 30. 116. Dd. II. 36. III. 530 verbo 'optare' succedit, infinitivum modum, qui Or. vv. 99. 586. Dr. VIII. 82. 125. 437 pro participio temporis futuri constitutus est.

Quamquam quid infundo, ut aiunt, in vas perforatum aquam vel in solum incultum ac derelictum semen demitto? Rebus enarrandis impar uterque scriptor, cum non sine multo labore et sudore versus rite quasi conglutinaret,

1) legitur etiam apud Ovidium Metam. V. 464.. 'dumque omnia lustrat eundo (= iens)'. — 2) cf. *Rosengren* 'De elocutione L. Annaei Senecae commentatio'. Upsaliae 1849. p. 60. — 3) cf. *Grasberger* 'De usu Pliniano'. Wirceburgi 1860. p. 85.

quatenus licentiam poetarum migraverit et, prout metrum postulabat, in temporibus et modis perperam definiendis securo animo sibi indulserit, ut planissime cognoscas, relego te ad vv. Or. 343 sqq. 556. 584. 614. 931. Dr. II. 103. III. 13. V. 104 sqq. VII. 4. 18. VIII. 35. IX. 64 sqq. X. 348 sqq. Sat. 294. Ob eandem exiguam orationis facultatem haud scio an mira anacolutha Or. 254 sq. et Dr. II. 20 sqq. VIII. 410 legamus, neque secus in Oresteam sextos casus *mare* (vv. 364. 369) (v. Schenkl. p. 24) et *secure* (v. 214) (cf. 'bipenne' Commodian. Instruct. 1, 17, 8) atque in carmen de deo bis ablativi formam *neci* (II. 532 et III. 114) (cf. I. 668 'subductus morte') irrepsisse equidem persuasum habeo (cf. Neue 'lat. Formenlehre' p. 35., Paucker 'de lat. script. hist. aug.' p. 77).

§ 4. De vestigiis Africanae quam vocant latinitatis utroque loco exstantibus.

Latinitatem, quam vulgo Africanam dicunt, cum nonnulli viri doctissimi vanam imaginem ducentes prorsus reiecerint[1]) vel certe in dubitationem[2]) vocaverint, quicunque progressus literarum intentis oculis contemplatur, firmioribus argumentis in dies niti negare non potest. Post Zinkium[3]), Mommsenium[4]), Ottium[5]) imprimis Woelfflinius, vir summo ingenii acumine florens atque de lingua latina investiganda optime meritus, cum aliis locis tum egregia commentatione de Cassii Felicis latinitate[6]) conscripta Africanum dicendi genus certis quibusdam indiciis distingui nos docuit et fundamentum conatus est ponere idoneum, cui discipulus clarissimus Sittelius, instituto magistri itinere pergens, libello iuris publici nuper facto[7]) quaestionem

1) cf. *Kretschmann* 'De latin. Apul.' p. 33. — *Kaulen* 'Handb. z. Vulg.' p. 4. — *Jordan* 'Kritische Beiträge' p. 265; 'Vindiciae sermonis Latini antiquissimi'. Regim. 1882. p. 18. — H. *Becker* 'Studia Apuleiana' Berol. 1879. p. 7 sq. — 2) cf. *Rönsch* 'It. u. Vulg.' pp. 5. 7. 12. 15. — *Koziol* 'Der Stil des Apuleius. Ein Beitrag zur Kenntniss des sogenannten afrikanischen Lateins'. Wien 1872. — 3) Zink 'Der Mytholog Fulgentius' pp. 37 sqq. — 4) Archäol. Zeitung 1871. pp. 5 sqq. — 5) Jahrbb. f. Phil. 1874. pp. 759 sqq. — 6) Sitz.-Ber. d. Münch. Akad. 1880. I, 381. — 7) Sittl 'die lokal. Verschiedenh.' etc. (v. supra).

difficillimam, quae est de scriptorum Africanorum proprietatibus, superstruere studebat. Quam prospere id, quod expetebat, processerit, eruditus huius opusculi iudex Vogelius Fleckeis. Jahrbb. vol. 127. pp. 177—192 sine amore et cupiditate ostendit, ubi eorum, quae ille ex librorum assidua lectione didicit et affabre contulit, summam nobis impertivit notisque subtilibus locupletavit. Ut ergo argumentorum numerus crescat, porro inquiratur oportet, quaenam huiusmodi latinitatis indicia Orestea, cuius quidem Africanam originem nemo adhuc infitias ivit, cum reliquis epylliis Dracontii, causidici haud dubie Carthaginiensis, communia habeat. Cuius officii partes optime me impleturum esse spero, si ex eodem ordine atque Vogelius (l. c. p. 183 sq.) res a Sittelio observatas digessit, quidquid commemoratione dignum inveni, in medium proferam.

Atque allato loco Vogelius ex Sittelii opusculo primum locutiones solo ferme prosae orationis scriptorum Afrorum usu confirmatas collegit; cuiusmodi exempla cum neque Orestea nec reliquis Dracontii carminibus contineantur, illo capite praetermisso, ad ceteras res actutum mihi transeundum est ac videndum

A. De peculiari vocum quarundam usurpatione, quae procul dubio Africanam originem trahit.

Ac si quis a substantivis, quae huc spectant, initium capit, ei pluralis numerus *populi* idem atque 'homines' sonans apud Dracontium VI. 70. X. 522. Sat. 216. 289. Dd. III. 350 pariter atque in Oresteae vv. 382. 384. 958 obviam venit. Integer tamen hic usus, quem Sittelio (l. c. p. 108 sq.) teste haud dubie Africanarum literarum monumenta primo et saepissime praebent, Afris mansisse non videtur, cum apud Apollinarem Sidonium extremo carmine quinto 'obstantes populos' eodem sensu atque 'obstantes homines' legamus et Hist. Apoll. Reg. Tyr. 59, 14 'populi (i. e. homines) ab auriculis reum comprehenderunt' scriptum sit (Thielmann, p. 30). De Claudiani usu vid. Sittel. l. c. p. 109. — *Gentes*, unde Francogallorum pluralis 'les gens' ortus est, pro voce 'homines', aut *plebes* nusquam apud Dracontium deprehendere potui.

Deinde, si plebei sermonis vestigia anquirimus, Afros, morem Graecorum, qui voculam δὲ adhibent, secutos *nam* coniunctionem, cuius naturalis significatio evanescebat, in linguam latinam perverse introduxisse constat ad pronuntiationes simpliciter annectendas, 'ubi aptioribus particulis continuanda erat oratio'[1]), si re vera Afer est Commodianus, qui parens eius erroris iure denotatur, cf. apol. 256. 677. instr. 2, 2, 18. 17, 16. Commodianum exemplorum assiduitate nimirum alii inquinatae latinitatis auctores, quos Sittelius ibidem (p. 138 sq.) laudat, longe superaverunt. In quibus rursus uterque scriptor est, cum 'nam' vocula perperam usurpata aeque Dr. V. 143. 208. VIII. 37. 432. 500. Sat. 10. 55. 113 atque Oresteae vv. 381. 436. 511. 941 offeratur.

Tum abusus mihi respiciendus est, qui per posteriorem linguae aetatem invalescebat, ut magis magisque neutr. pron. relat. quod vel loco eius adv. relat. quia (quoniam) in iura accusativi et infinitivi concederet potestatemque generalis cuiusdam omnis enuntiationis obiectivae articuli assumeret, quam potestatem idem neutrale pronomen ὅτι vel pro eo adv. ὡς in Graeca lingua usque habuit habetque in recentioribus (francog. 'que', it. 'che', german. 'dass'). Postquam enim oblata facultate praeter alios[2]) viri praeclara eruditione atque doctrina ornati Hagen l. c. lib. II. cap. 31., Rönsch p. 402., Kaulen p. 246 sqq., Draeger H. S. II² § 379. p. 230 sqq., Thielmann 'Apoll.' p. 16 sq. de hac constructione vulgari iam affatim disseruerunt, Sittelius (l. c. p. 110 sq.) eandem materiam denuo copiosissime pertractavit ac diligenter singulorum scriptorum usum perpendit isque vir doctus semel tantum 'quod' (in bello Hisp. cf. Koehler, act. sem. Erl. I. 443) et 'quia' (Petron. 46 cod. H. cf. Guericke l. c. p. 64) ante Apuleium

1) Hand 'Tursellinus' vol. IV. p. 22. — 2) vid. *Kallenberg* 'Quaestiones grammaticae Ammianeae'. Diss. Hal. 1868. p. 9 sqq. — *Paucker* 'de latinit. Claudian. poet. observat.' Rh. Mus. vol. XXXV (1880) p. 605 sq. et 'Spicilegium addendorum lexicis latinis' 109 sqq. — Ztschrft. f. d. öster. Gymn. 1881. 32. Jahrg.: 'Bemerkungen zu den sogenannten quintilianeischen Declamationen' pag. 9.

et Tertullianum accusativi et infinitivi partes agere testificatur omnique asseveratione contendit, vocem 'quod' sentiendi et dicendi verbis sequente indicativo appositam et 'quia' coniunctionem pro accusativo et infinitivo cum coniunctivo connexam primum et creberrime Africanos auctores exhibere. Quo consilio si Oresteam quoque et cetera Dracontii opera attente excutimus, utrobique accusativi cum infinitivo copulati loco saepenumero *quod* coniunctionem reperimus, quae et coniunctivum Or. vv. 129. 275. 870. Dr. IX. 88. X. 286. 353. 368. Dd. I. 3 et indicativum Or. 355. Dr. Sat. 18. 215. 216. Dd. III. 150 sine discrimine secum trahit; neque *quia* ita substitutum repudiatur, sed haec vox ubique (Or. 673. 760. Dr. IV. 10. VII. 10. 16. IX. 111. X. 346. 350. Dd. I. 420. II. 100 (bis). III. 79) solum indicativum sibi obnoxium facit.

Neutr. adv. *quia* cum coniunctivo modo ita consociatum et, quod sescenties apud Afros sentiendi ac dicendi verba sequitur, *quoniam*[1]) neque in Orestea neque in ullo alio versu Dracontiano deprehenditur, quam mirabilem conspirationem propter argumenti magnitudinem pronuntiare plurimum mea interest.

Praeterea si praepositionum usum vulgarem respicimus, Apuleius ablativo, qui instrumentalis dicitur, cumulate *de* praepositionem adicere coepisse videtur ceterosque Afros potissimum, cum luxuriam quandam affectent, via patefacta ulterius procedere iuvabat. Atque Apulei et Lactantii exempla Draeger. H. S. I² § 286, 7, d allegat, Tertulliani, cum vel invito obtrudantur, Langenus[2]) propter multitudinem afferre supersedet, ad fontes largissimos, ex quibus innumerabilia hauries, Handius (Tursell. II. p. 220) et Sittelius (l. c. p. 126 sq.) nos remittunt. Noli ergo mirari Dracontium VIII. 167. IX. 227. Dd. I. 150. 194. 327. 405. 673. III. 255. 424. 621 abundanti 'de' praepositione instrumentum declaravisse. Quin etiam, cum per homines vel ab hominibus aliquid fit, Tertulliano praeeunte (v. Lan-

1) vid. *Draeger.* H. S. II² § 380. — *Paucker* 'spicileg. add. lex. lat.' p. 111. — *Sittl,* l. c. p. 111. — 2) *Langen* 'Ind. lectt. aestiv. Acad. Monast. Guestph.' 1869. p. 9. — cf. *Rönsch* p. 392 sqq.

gen. p. 9), Or. v. 431 'incolumi viduata viro de paelice Glauce' pro 'a' praepositionem 'de' obviam habemus, quibus exemplis contrariam Handii sententiam lucide refutari opinor, qui in Tursellino vol. II. p. 221 ita iudicat: 'Passiva verba cum 'de' aeque atque cum 'a' componi posse Graevius ad Cic. p. Caec. 36, 103 contendit, sed nemini persuasit. Ernestius optimo iure negavit id fieri posse'. Insolenter Dracontius etiam VIII. 284 'rector de rege mereri' et Or. v. 753 . . 'nil potuit mulier de prole mereri' 'de' praepositionem arripuit, populares Apuleium et Tertullianum rursus imitatus, quorum hic cum verbis postulandi, expostulandi, expectandi, impetrandi, petendi, efflagitandi, exigendi, requirendi, consequendi, mutuandi, sperandi, sumendi non raro 'de' coniungit, cum boni scriptores vocem 'a' usurpare soleant, aliosque serioris aevi auctores, qui eodem modo interdum loquuntur, secutus (cf. Langen l. c. p. 8, Hand Turs. II. p. 191). Quousque Afri imprimis omnino 'de' praepositionis, quae sermoni plebeio longe gratissima fuit et exceptis compositionibus in linguis romanicis vocem 'a' plane submovit, regionem propagaverint, Tertullianeis locis Langenus l. c. pp. 2—12 exposuit.

Item, grammatica ratione neglecta, speciem quietis et motionis in usurpanda *in* praepositione Tertullianus primum certis ac sat insolitis exemplis permiscuit, quae in programmate Langeni[1]) de 'in, sub, super, subter' praepositionum usu conscripto p. 14 iuste castigata reperimus. Casum quartum pro sexto certe primum Tertullianus perperam collocavit, quae permutatio etiam multo rarius occurrit, cum pravus iuxta 'in' ablativus posteriorum scriptorum locis facile coarguitur librosque hominum literatorum, qui uberem talem messem complectuntur, Sittelius l. c. p. 129 designat. Dracontius casibus confusis VIII. 14 'in Aonio descendit fonte poeta', IX. 143. Dd. I. 535 'redundat in coniuge facta' ablativum et Or. v. 755. V. 118 'socios in bella tueris', Sat. 203 'in arma pares', Dd. III. 443 'in cineres iacuere suos' accusativum cum praepositione 'in' vitiose copulavit.

1) 'Ind. lectt. hibern. Acad. Monast. Guestph.' 1869.

His vocabulis et constructionibus breviter explicatis, cum sequatur, ut

B. de linguae proprietatibus creberrime apud Africanos scriptores occurrentibus,

quoad Dracontiana elocutio postulat, nunc scribam, a pleonasmis, qui vocantur, ordiar. Pleonasmi enim cum ad universum sermonem vulgarem pertinent, in quo pingui expositione perspicuarum cogitationum inopia saepe occultatur aut propter studium efficacissime sensa mentis exprimendi abundatia quaedam captatur, cuiusmodi insignissimo exemplo nescio an Isidori 'Synonyma' esse possint, tum fervidioribus ingeniis Afrorum scriptorum grati et accommodati sunt, a quibus simplex ac ieiunum dicendi genus fastiditur ac splendor amplitudoque ante omnia quaeritur et quos hanc ob causam inflata oratione verborumque inanium strepitu importuno ac mole vix tolerabili gaudere adeoque poeticum quendam colorem pedestri quoque sermoni dare videmus, ut in Africa inter prosam et poeticam scriptionem certos fines intercedere iure optimo queat negari [1]). Quem Africum tumorem postquam Kretschmann et Koziol Apuleianis et Zinkius Fulgentianis exemplis accurate illustraverunt, Sittelius membris minutioribus carpsit et quae Afris maxime in deliciis esse diiudicavit, sub aspectum subiecit.

Ex Dracontii opusculis Orestea annumerata primum exempla depromi possunt ad confirmandam copulationem duorum synonymorum nominativo et genetivo casibus effectam, quam Sittelius p. 92 sqq. persequitur; legimus enim VIII. 507 *dictorum verbis* (cf. Dd. III. 634 'dictura loquendo') et Or. 380 '*muneribus* cumulatur *opum*', quae colligationes locis a Sittelio citatis nequaquam dissimiles sunt. Nec frustra talem consociationem quaesivi, ut unum idemque substantivum his casibus contineatur (Sittl p. 94 sq.), cum Oresteae

1) cf. *Sittl*, p. 109: 'in Afrika besteht . . wie im Oriente überhaupt, eigentlich gar keine Grenze zwischen dem prosaischen und dem poetischen Ausdruck'.

v. 25 *ductorum ductor, regum rex* et Dd. III. v. 18 *'virtutum virtus*, dulcedine dulcior omni' exhibeat.

Porro substantivo adiectivum synonymum libentissime ab Africanae latinitatis auctoribus annecti ibidem p. 95 sq. affirmatur eoque Dracontianae copulationes Or. 805 *'somnigerum* revocabat palla *soporem'*, Dd. I. 452 *imbriferis pluviis*, Or. 915 *'primaevi temporis* annos', X. 104 *'senio* lassata *vetusto'* pertinent, cum quibus aptissime comparandae sunt: Ps. Fulg. serm. 11 col. 872 a 'somni sopor[1]), Luxor. Anthol. Lat. 287, 9 'nostri temporis aetas', Arnob. 3, 29 p. 132, 2 'vetustas prisca', 6, 24 p. 235, 26 'vetus antiquitas'. Quorum omnium locus Dr. X. 104 'Phoenix sola genus senio lassata vetusto' mirabilissimus mihi esse videtur, cum Dracontius, qui sine dubio Stat. silv. II, 4. 36 . . 'senio nec fessus inerti' in promptu habuit, in hoc versu fundendo adiectivum 'inerti' voce 'vetusto' commutaverit, ne hiatus nasceretur, unde Afros ad eiusmodi colligationes propensissimos fuisse liquet.

Duo quoque adiectiva synonyma sine copula iuxta se collocata, cuius usus, Sittelio p. 96 sqq. testante, rursus Afri plurima exempla suppeditant, Or. v. 704 'dicebat regina *furens irata* ministris' et v. 710 'apparet *violentus atrox* Pylades in aula' reperiuntur, quod alterum exemplum gravissimum est, cum adiectiva 'violentus atrox' ad verbum descripta deprehendamus V. 268 'civis adest violentus atrox mea fata requirens'. Ceterum hic addendum est, quod iam Weitzius initio indicis sui in Dracontium monet, 'bina epitheta sive adiectiva uni substantivo prorsus ab eo uniri solere, ut Dd. I. 180 'odoriferis nunquam marcentibus herbis' atque alibi', cf. etiam Or. 250 'belliger armipotens' (VIII. 328), 324 'pulcra pudica', 494 sq. 'truces . . . participes', X. 238 'impia turpis anus', 369 'decens . . . pulcherrima Glauce'.

Reliqua pleonasmi genera (Or. 146 'licet et' (cf. Tert. virg. vel. 6), 193 'brevis et parvus Orestes', 451 'rogus et pyra lectus', 461 'voces et verba doloris'; V. 218 'exul et

1) sopitum somno Verg. Aen. I. 680 iam legitur.

extorris', VIII. 93 'culmen et apex', 609 'laetatur gaudens') omitto, quippe quae minimi faciam, et ad praepositiones censendas pergo, quarum aeque ac coniunctionum vim (cf. Dr. satisf. 5 'principio seu (= et) fine carens', Sittl p. 138) in Africa maxime Vandalorum temporibus vacillavisse nec sibi constitisse et Sittelius p. 136 contendit et Dracontii carminibus comprobatur, apud quem 'per' et 'sub' praepositionum usus latissime patet.

Orestis auctor proxime ad Dracontium accedit, quod *per* praepositionis localem vim ultra eos fines, quos apud priores habuerat[1]), adeo extendit, ut 'per' et 'in' cum ablativo promiscue adhibita appareant, tantusque consensus inter utrumque cernitur, ut vocem 'per' ita positam in Orestea semper fere eadem nomina substantiva conserta atque apud Dracontium sequantur, cf. 'per templa' Or. 194. 465. V. 141. 243. VIII. 143. X. 10. 70. 205. 262; 'per bella' Or. 344. V. 210. 302. VIII. 129. 317. 630. IX. 68; 'per proelia' Or. 333. V. 11; 'per cuncta' Or. 121. II. 153. VI. 65. VII. 98. VIII. 237. 491. X. 100. 165. Dd. I. 226. 292. 348. II. 82; 'per colla' Or. 60. 229. 644. V. 315. VIII. 111. 160. IX. 178. Dd. III. 208. — Comparandi gratia Corippi Johannidem perlegi, sed ex his colligationibus ibi eodem sensu sola 'per bella': Praef. 3. I. 409. 477. II. 51. III. 443. V. 137. 658. VI. 77. 302 et semel IV. 277 'per templa' obviam se mihi obtulit, cf. 'per castra' Corip. Joh. II. 248. 264. VII. 51. al., Dr. VI. 20. VII. 36. VIII. 653. IX. 101. 145.

Pariter solius ablativi instrumenti vice utroque loco 'per' fungitur, cf. Or. 727 'minuunt per mille secures', Dd. II. 114 'per mille catenas' et audacissimum illud Or. v. 834 'obstrue per calcem (A)'. Quam potestatem iam inde a Livio interdum extantem (vid. Draeger. H. S. § 272), etsi etiam 'in Ammiani elocutione nihil iam inter praepositionem 'per' et ablativum instrumenti interest' (Hassenst. p. 32), creberrime tamen apud Afros occurrere ex usu eiusdem vocis Tertullianeo concludi potest, Langeno[2]) ita iudicante:

1) vid. *Hand* 'Tursellin.' IV. p. 434, 9. — *Draeger.* H. S. I². § 272. — *Hassenst.* p. 32. — 2) Langen 'de usu praepositionum Tertullianeo'. Ind. Acad. Monast. Guestph. 1868. p. 12.

'Innumerabilibus fere locis Tertullianus hac praepositione usus est, ut instrumentum significet, quo quid fiat, cuius rei exempla afferre propter multitudinem supervacaneum esse arbitror. Quod quamquam etiam apud multos alios scriptores factum esse videmus, tamen nescio an nemo totiens hanc dicendi rationem usurpaverit quotiens Tertullianus'.

Ad haec exempla adiciuntur loci, ubi 'per' praepositio idem ac 'propter' declarat: Or. v. 178 'per te casta negor, per te fero damna pudoris', v. 728 'per vulnera palpitat artus', 921 'sanctum per iura tribunal'; VIII. 460 'quem fors ad Cyprum dederat per festa dierum', Dd. III. 390 'nurus doluit per bella maritum' i. e. bello occisum (cf. Hassenstein p. 33).

Eandem convenientiam esse apud utrumque auctorem etiam in praepositionis *sub* usurpatione satis ex his colligationibus intellegitur: 'sub fraude' Or. 162. 338. Dr. V. 82. VI. 54. VII. 155. Dd. II. 279., 'sub morte' Or. 392. Dr. Satisf. 131., 'sub luce' Or. 493. 674. Dr. V. 194. IX. 89. Dd. I. 663. II. 7. 519., 'sub flore' vv. Or. 528. Dr. Sat. 228., 'sub crimine' Or. v. 531. Dr. Dd. III. 482. 556., 'sub armis' Or. 703. Dr. Dd. III. 487., 'sub iure' vv. Or. 937. Dr. II. 9. Sat. 131. Dd. I. 413. 554. 571. III. 300., 'sub sorte' vv. Or. 937. Dr. VIII. 536. X. 412. Dd. II. 682. III. 682. Quas singulas si acrius intuemur, ante ablativum instrumenti, ubi cum praepositionibus 'de, per, a' variat, praeter necessitatem 'sub' offendimus Or. 528 'vestitos sub flore genas', 937 'purgatum sub iure deum, sub sorte benigna', V. 74 'nec timeat validas sub tempestate procellas', VII. 97 'quae cantu mulcere solet sub voce canora', Dd. I. 470 'aggreditur sub voce pia', II. 167 'tali sub clade aboletur', III. 28 'sub vomere', al.

Nec minus supervacaneum ac molestum est ablativo temporis 'sub' praepositum Or. 493 'et claro privata die sub luce diurna', 674 'et venturus erit vindex sub luce futura', IX. 89 'sub luce' (cf. VIII. 436 illa luce); at V. 194 'sub luce' (fugit) idem ac 'prima luce' valet, cf. Ovid. Met. I. 464, et 'sub nocte silenti' (V. 193. X. 360) iam apud Vergilium Aen. 4, 527. 6, 268. 7, 87 legitur.

Insuper ablativo modi 'sub' praepositionem praetextam invenimus atque utroque loco saepissime ante vocem 'fraus': Or. 162 sq. 'sub fraude latenti incipit effari', 338 'extinctum sub fraude ducem'; V. 82 'quem perimit sub fraude reus', VI. 54 'blanditus sub fraude dolor', VII. 155 'iam spargens sub fraude rosas'; V. 3 'et facinus sub laude gerat', Or. 392 et Sat. 131 'sub morte', Or. 799 'regis sub honore salutant', quam locutionem scriptor haud dubie a Silio Italico v. 11, 426 sq. 'aequo sub honore vocatur Altera Carthago Capua' et 16, 245 'Sceptrigero cum rege pari sub honore residunt' mutuam sumpsit.

Simillima ratione Tertullianus praepositione 'sub' abutitur, quam Langenus 'Ind. lectt. Acad. Monast. Guestph.' 1869 p. 15 sqq. tractavit.

Hactenus de latinitatis Africanae vestigiis apud utrumque auctorem pariter conspicuis. Extrema hac parte operae pretium est addere, duobus verbis inchoativis, quae natura sua neutra sunt, *pulcresco* (v. 128) et *tepesco* (v. 583) transitivam vim in Orestea tribui, quam apud vetustiores scriptores sola verba 'suesco' cum compositis suis et 'quiesco' habent (cf. Sittl l. c. p. 141). Etenim, his exceptis, cum quarto demum post Christum natum saeculo verba inchoativa active adhiberi coepta sint [1]) cumque omnia fere talis usurpationis exempla, quibus 'augesco' (Coripp. Ioh. I. 332 'omnis et augescit crescentem frondibus ignem Arbor'..) subiciendum est, in Afrorum scriptis inveniantur [2]), inde quoque et de vetustate et de patria Oresteae tamquam ansa nobis datur coniecturae faciendae.

§ 5. De aliis vergentis iam aetatis linguae proprietatibus apud utrumque auctorem conspicuis.

Praeter eas proprietates, quas ad Africanam potissimum latinitatem spectare adhuc ostendimus, cum satis

1) cf. 'Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik etc.'. 1884. 4: *Sittl*, 'de linguae latinae verbis incohativis.' — 2) vid. *Muncker.* ad Fulgent. Verg. cont p. 141. — *Ott*, Jahrbb. 1874, vol. 109 p. 843 sq. — *Sittl*, 'Die lokal. Verschiedenheiten der lat. Sprache etc.' p. 141 sq.

multa alia indicia, quae universam latinitatem vergentem attingunt, Dracontii carminibus contineantur, ex quibus, etiamsi carmen undecimum, 'Satisfactio Dracontii ad Guthamundum regem Guandalorum', non extaret, de aetate eius certum iudicium proferri posset, non intermittendum existimo, quin, quidquid eiusmodi argumentorum Oresteae quoque versus comprehendant, diligentissime exquiram; atque priore loco in iis commorabor, quae utrique auctori communia esse reperi. Quae non pauca indaganti mihi obviam venerunt per carmina disiecta maximeque, quibus animum advertamus, idonea, cum evidenter Oresteae eandem originem ac Neapolitanis carminibus assignent.

I. De proprietatibus Oresteae et Neapolitanis epylliis communibus.

A. De substantivorum accumulatione.

Cum vena vere poetica apud Romanos fere exaruisset, in artis locum successerunt artificia artificiorumque ferax doctrina ac disciplina, quae inventionis egestatem inani quadam verborum versuumque variorum novitate et quaesita elegantia tegere doceret. Subsidio eius generis pervulgatissimo poetas inferiores, ubi vehementes animorum commotiones vividis coloribus depingere volunt, inepta multorum substantivorum coacervatione uti videmus, nullis particulis copulativis interpositis[1]). Exempli gratia reicio te ad versus hoc pacto deinceps refertos, quos Prudentius et Apollinaris Sidonius coagmentaverunt, poetae christiani plus aequo vocabulis cumulandis dediti, ut nec modum nec decorum servare potuisse videantur, quorum ille Peristeph. X. 326—335 sine ulla necessitate, nisi ut 'verbositati' poetae, quam ipse v. 551 fatetur, satisfiat, triginta quinque nomina uno spiritu pronuntiat, hic carm. XXIII. 39—44

1) cf. *Luc. Mueller.* 'de re metr. poet. Latin.' p. 241: 'qualia (sc. cumulata nomina seu verba) cum haud raro admisissent antiquissimi auctores inopia metri, ab insequentibus praeter satiricos idem plane fuit alienum, nisi ultimi temporis auctores pravitate ingenii sive aemulatione vetustissimorum idem repetissent (cf. Beda 2367.)'

viginti quatuor. Dracontius tamen, etiamsi cum suorum temporum poetis facit, duos tantum, ad summum tres versus sic implet, non plures, ideoque propius ad Claudianum (cf. Epithal. Laurent. v. 60. 61) et Corippum (cf. Ioh. I. 44. 45. V. 79. 80. Iust. III. 74) quam ad Prudentium et Sidonium accedere mihi videtur. Atque omnium istius modi exemplorum, quae apud eum leguntur, versus *'Pectora cor sensus animum praecordia mentem'* plurimum ponderis habet arctissimeque Oresteam cum carmine de deo coniungit, cum ad literam idem et Or. v. 558 et Dd. II. v. 42 occurrat. Similiter toti versus ex adiectivis compositi Or. 523. V. 173. VII. 12. 14. 72. X. 411 nobis occurrunt, Prud. Psychom. vv. 229. 295. Coripp. Ioh. IV. vv. 223. 586 aliisque locis, quos enumerare longum est, conferendi. Nimium quantum poetae et mediocres et prudentiores, qui medio aevo poemata heroica condiderunt, hac insulsa vocum coagmentatione delectati sunt, cuius generis notabile exemplum ex Abbonis bellis Parisiacis sumptum Sittelius l. c. p. 155 ante oculos posuit:

'Sanguivomis, laceris, atris, edacibus † aequo,
Vulneribus, praedis, necibus, flammis, laniatu,
Persternunt, spoliant, perimunt, urunt, populantur',

qui versus etiam idcirco memoratu digni videntur, quod singula primi versus vocabula cum secundi ac tertii vocibus eodem loco adhibitis copulari possunt.

B. De vocum derivatione.

1. **Adiectiva in-alis exeuntia** aetatem citeriorem sapere, quam vere Woelfflinius[1]) iudicaverit, si solutam orationem respicimus, iam solius Apollinaris Sidonii exemplis, quae in epistulis eius extant ac subtiliter a Kretschmanno[2]) conquisita sunt, satis superque ostenditur. Quibus si quis

1) 'Ueber die Latinität des Afrikaners Cassius Felix.' Sitz.-Ber. d. Münch. Akad. 1880. 1, 406: 'diese Bildungen, in der klassischen Periode noch im Rückstande geblieben (vgl. des Verf. Anmerk. zu Livius 21, 26, 8), nehmen im Spätlatein zu, wie auch die romanischen Sprachen einen grösseren Reichthum an solchen besitzen als die klassische.' — 2) Kretschmann 'De latinitate C. Solli Apollinaris Sidonii'. Particula altera. Memel 1872. p. 10 sq.

nihilo secius plura requirit, eum collectanea Pauckeri certo saturabunt, qui immensam silvam talium vocum ex scriptorum recentiorum operibus contulit[1]). Quomodo apud poetas res sese habeat, ut sentias, carmina Vergilii, Claudiani, Sidonii, Corippi perscrutabor et quot rimanti mihi quisque obiecerit, tot tibi sine mora in conspectum dabo. Ac Vergilius, a quo ordior, apposita, quae hunc exitum habent, haec adamavit: annalis, armentalis, brumalis, crinalis, dotalis, exitialis, fatalis, feralis, fluvialis, furialis, genialis, genitalis, glacialis, iugalis, iuvenalis, letalis, lustralis, mortalis, muralis, natalis, navalis, nivalis, novalis, pastoralis, penetralis, pluvialis, regalis, trabalis, vitalis. — Sequatur Claudianus, cuius carminibus comprehensa adiectiva in-alis desinunt: australis, brumalis, conubialis, crinalis, dotalis, exitialis, fatalis, feralis, funalis, furialis, genialis, glacialis, iugalis, letalis, lustralis, maritalis, mortalis, muralis, natalis, navalis, nivalis, novalis, novercalis, nuptialis, pastoralis, pluvialis, prodigialis, regalis, trabalis, turmalis, venalis. — Ex Sidonii, ad quem nunc venio, poematibus emergunt: divalis, dotalis, grammaticalis, hiemalis, hospitalis, iugalis, iuvenalis, latialis, municipalis, muralis, natalis, navalis, nivalis, rivalis, trabealis, triumphalis, triumviralis, specialis, venalis. — Densum agmen Corippus claudat, qui in libris undecim (Ioh. et Iust. Min.) talia vocabula decem et sex praebet: australis, brumalis, divalis, fatalis, feralis, furialis, generalis, imperialis, iugalis, letalis, maritalis, regalis, specialis, triumphalis, vitalis, venalis.

Quae exempla considerans, recentiores poetas nova eius generis adiectiva licentius confinxisse veteribusque addidisse non infitior, veluti Prudentius septem peperit: 'bractealis' (Perist. X. 1025), 'bustualis' (Cath. IX. 52), 'carceralis' (Perist. V. 269. 552), 'flabralis' (Apoth. 841), 'oblivialis' (Cath. VI. 16), 'occidualis' (Psych. 832. Sym. II. 598), 'palpebralis' (Ham. 872), sed copiosius apposita ita terminata versibus inseruisse nego, idque optime refutatur ta-

1) cf. 'de lat. script. hist. aug. melem.' p. 30. p. 30*—33*. — 'Spicil. add. lexic. Lat.' p. 206 sq. p. 233—252.

lium vocum differentia, qualis inter Vergilium et Corippum exsistit. Argumentum igitur non falsum duci posse existimo etiam ex maiore numero adiectivorum in-alis cadentium, quae per Oresteam pariter ac per reliqua carmina Dracontii disseminata cernuntur, praesertim cum uterque scriptor haec decem communia habeat: diademalis (Or. 260. 319. Dr. Sat. 33), furialis (Or. 475. Dd. III. 261. 464. — Verg. al.), iugalis (Or. 247. V. 328. VI. 78. VII. 58. X. 166. 270. 294. Dd. I. 407), maritalis (Or. 238. 433. 540. VI. 50. 104. — Ovid. Iuv. Sen. al.), matronalis (Or. 421. VI. 53. 99. — Ovid. al.), mortalis (Or. 497. 824. Dd. II. 254), pastoralis (Or. 270. VIII. 2. 643. — Verg., Ovid., al.), regalis (Or. 141. 416. 456. 648. 854. VIII. 615. Dd. III. 318. 491. — Verg. al.), triumphalis (Or. 139. V. 270. Dd. III. 364. — Ovid., al.), vitalis (Or. 172. IX. 96. Sat. 75. Dd. I. 547. 595. 649. 651. II. 126. — Verg., al.). Quorum maximi momenti sunt *diademalis* i. e. 'diademate instructus', quod nusquam alibi extat, *mortalis*, quod Or. v. 497 'mortale venenum' et Or. v. 824 et Dd. II. 254 'mortale minantes' vim activam habet idemque ac 'mortiferus' significat, cui solius Cypriani de bono Patient. med. 'mortale crimen' i. e. 'mortem afferens' praesidio est, *iugalis*, quod idem atque 'uxor' valet itaque novissimis demum temporibus usurpatur (cf. Venant. Fort. 6, 2, 76 'placitura iugali', Anth. lat. II. 138, quibus locis 'iugalis' absolute pro 'maritus' positum deprehenditur). — His congestis, supersunt in Orestea: coruscalis (243) semel dictum, decennalis (507. — Amm. 15, 12. Hieron. adv. Iovin. I. 48 'Europa atque Asia propter unius mulierculae raptum decennali bello confligunt'), iuvenalis (617. — Verg. al.), legalis (892. 948. — Quint. 3, 5 et 8), medicinalis (20. 923. — Augustin. Quaest. in Heptat. 4, 25. . 'medicinalis et salubris'), Minervalis (33. — Tertull. de spect. 11 'Minervales artes'), poenalis idem sonans ac 'poena dignus' (306. — Imp. Constant. Cod. 10. 19. 2 'carcer poenalium, carcer hominum noxiorum est'), rogalis (407. — Ovid. Sid.), — in ceteris carminibus Dracontianis: australis (VI. 74. — Ovid. Claud.), carnalis (Dd. I. 116. — Prud.

al.), exitialis (X. 941. — Verg. al.), fluvialis (Dd. II. 437. — Verg. al.), generalis (Dd. II. 425. 183. 111.), genialis (Dd. III. 319. — Verg. al.), larvalis (VIII. 632. — Sen. Ammian. al.), navalis (Dd. 790. — Verg. al.), specialis (Dd. II. 183. 425. — Paulin. Nolan. Boëth. al.), sponsalis (VI. 10. — Hieron. al.), venialis (V. 227. VIII. 361. Sat. 121. Dd. II. 486. 599. — Macrob. Sat. 7, 16), vernalis (X. 115. — Manil. 3, 258).

2. **Eodem etiam verba** a nominibus substantivis 'sponsa' et 'plaga' derivata *sponsare* (Or. 78 'coniux sponsantis Achillis') et *plagare* (Dr. IX. 75 'plagare Cytheren') referenda sunt, quae idem ac 'sponsam aliquam facere' et 'vulnerare' declarant. Et sane nescio quo casu ambo invenimus in numero plurium, quae, cum ad labentem latinitatem pertineant, Kaulen p. 166 sq. ex Vulgata comportavit: Os. 2, 19, 20 'sponsabo te mihi', 1. Macc. 3, 56 'sponsabant uxores', cf. 'desponsare' (Kaulen p. 177) Ex. 22, 16 'virginem necdum desponsatam', Deut. 22, 25; Zach. 13, 6 'his (plagis) plagatus sum'. Item leguntur: 'sponsare' Tert. virg. vel. 16. Nol. carm. 18, 43. Opt. 6. Schism. Donat. 4. Paul. Dig. 23, 2, 38 et 'plagare' Augustin. C. D. 21. 11. His duobus praeclare tertium *discipulare* vel *discipulari* (Sat. 154 'cinctus apostolica discipulante manu') respondet, quod eandem sententiam ac 'discipulum aliquem reddere' vel 'instituere' habet neque usquam alibi test. Forcell. nisi Gloss. Isid. n. 563 'discipulati, edocti' et Gloss. apud Mai. Class. Auct. T. 8. p. 181 'discipulari, discere' offertur. Quae 'sponsare, plagare, discipulare' verba rei diiudicandae prae ceteris apta quin ex uno fonte emanaverint, si formam eorum simillimam et vim consentaneam respexeris, potest vix dubitari. Nec minus mihi persuasi, ab eodem auctore in carminis de deo libro primo (vv. 275. 640) *palmata* cervorum *cornua* (cf. Capitol. Gordian. 3) atque in Orestis tragoediae v. 111 *palmatae puppes* dictum esse, ita ut illic cornuum partes (cf. Plin. 11. 37. 45), hic remi metonymice palmae nominatae sint (cf. Vitruv. 11, 8. Catull. 64, 7 'caerula verrentes abiegnis aequora palmis').

C. De vocabulorum insolenti significatione.

1. De substantivis.

a. Abstractorum positio, in urbano sermone latino certis legibus constituta, latinitatis argenteae quam vocant auctoribus iam usitatior fit, et cum Seneca et Tacitus, tum Phaedrus et Valerius Maximus extra angustos cancellos, quos Cicero sibi circumdedit, egressi, fines eorum longius proferunt multisque locis abstracta pro concretis usurpant (vid. Draeger. H. S. I² § 8). Nimirum insequentibus saeculis etiam magis invalescunt atque in consuetudinem veniunt, quod una cum linguae aetate numerus abstractorum crescit et quod christiana doctrina ad novas quasdam notiones exprimendas et dialecticam exercendam imprimis vocabula abstracta quae dicuntur requisivit. Itaque omnibus extremae aetatis scriptoribus[1]) maximeque ecclesiasticis[2]) voces eiusmodi frequentare familiare est. 'Nam et ipsorum vocabulorum granditate et pondere ducebantur et alienati ab antiquorum expressa brevitate non tam exprimendae rerum imagini studebant quam rebus sensu carentibus'. Neque iis solum saepissime occurrimus, quae compellationis officio exigebantur quibusque simul personae eius, qui scribit, deminuatur auctoritas, simul eius, ad quem scribitur, augeatur maiestas, quales sunt: nostra mediocritas[3]), humilitas, parvitas, et vestra celsitudo, altitudo, beatitudo, verum etiam multis aliis locis hoc pingui dicendi genere nativae ac simplicis latinitatis gratia ac venustas decolorata deprehenditur. — Apud poetas posteriores, qui plus minusve priores imitabantur, non ita multa notabilia legimus, neque tamen negari potest, poetas christianos vocibus 'deitas', 'maiestas', aliis, abstractorum numerum auxisse. Oresteae luculentissimum abstractum *virginitas* intextum est (v. 11 'Thracia virginitas ubi (?) dat de clade salutem'), cui quidem ad amussim par alterum

1) cf. *Hassenstein* 'de synt. Amm. Marc.' p. 12 sqq. ('Omnis Ammiani oratio redundat substantivis abstractis'.) — *Hand* 'Lehrbuch des latein. Stils'² § 29. — 2) cf. *Kaulen* p. 29 sq. — *Rönsch* p. 311. — 3) Velleius II, 111. 3; cf. *Koren* 'Quaestt. Symm'. p. 41.

Dracontianum *feritas* observavi, quod VIII. 579 pro 'fera' legitur 'Perdit et elusa feritas pietate nocenti Raptoris sectatur iter'. Idem abstractum 'virginitatis' pro concreto 'virgo' iam Arnobium IV. 26 ('nomen virginitatis') et simillima copulatione Claudianum in Eutr. I. 329 'Troianam sola Minervam virginitas Vestalis adit' et Prudentium c. Sym. II. 1063 'quae nunc vestalis sit virginitatis honestas' [1]) adhibuisse vehementer miror, ad quod proxime 'paternitas' abstractum accedit pro concreto 'pater' a Fulgentio I. 1 ('paternitas damnata') positum et a Zinkio cum aliis eiusmodi vocabulis Fulgentianis l. c. p. 51 notatum. De reliquis nihil proferri potest, quod ab usu communi alienum sit.

b. Substantivum pignus perinde in Orestea (vv. 94. 245. 289. 312. 378. 402) atque in reliquis epylliis (bis et vicies) et in carmine de deo (I. vv. 261. 366. II. vv. 103. 322. III. 166. 333. 335) eandem potestatem ac voces 'infans, puer, filius' [2]) semper habet, principali notione ubique privatum. Quod magnopere animadvertendum est, cum praecedentes et aequales fere poetae Statius, Prudentius, Claudianus, Sidonius [3]) nec totiens hoc vocabulo utantur, quotiens Dracontius, nec plane a principali ac iusta eius significatione abhorreant. Ut enim pauca exempla supponam, ei ipsi substantivo vim propriam subicit Claudianus VIII. 130. XIII. 7. XVIII. 421., Prudentius Perist. Hymn. I. 86' hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium', Sidonius carm. VII 'pignus amicitiae'.

c. Subiungo substantivum reatus, quod unum est ex vocabulis ad consuetudinem iudicialem spectantibus. Etenim hoc substantivum, quod auctore Quinctiliano Inst. orat. VIII. 3. 34 primum a Messalla, imperante Augusto, in latinitatem adscitum est, utroque loco (Or. vv. 66. 932.

1) cf. *Hassenstein* 'de syn. Amm. M.' p. 14: 'Virginitas XXXI. 8. 8: adulta virginitas . . . ore adsecto fiens ultima ducebatur', ubi adiecit: 'Similem locum nusquam inveni'. — 2) glossa vetus ad Prud. Praef. Psych. v. 5 (*Migne*, Patr. Lat. LX, p. 12): pignora filii nuncupantur eo quod in eis spes habeatur futurae posteritatis. — 3) cf. Rud. Bitschofsky 'de C. Sollii Apollinaris Sidonii studiis Statianis.' Wien 1881.

957. Dr. VIII. 361. X. 394. Satisf. 19. 53. 198. 307. Dd. I. 49. 89. 112. 466. 494. 540. II. 246. 313. 400. 419. 556. 598. 699. III. 429. 508. 551. 566. 570) semper inflexa ac posteriore notione pro ipsa culpa, qua quis reus fit, teritur idque tralaticium 'culpa' vocabulum loco fere deturbat contra usum consuetudinemque poetarum contemporalium, qui communem 'poena' vocem 'reatus' vocabulo anteponunt, si quidem recte memini in carminibus Prudentii et Sidonii 'reatus' rarissime obviam fieri (Prud. Psych. 703. Cathem. 11. 103. 175. Sidon. carm. IX 'Aeternos incoluit Tomos reatu') multoque crebrius 'culpa' vocem existere.

2. Ex numero adiectivorum depromo *senior* vocem Or. 667. IX. 172. X. 379 positam, in quam annotatio Thielmanni (p. 31) ad Hist. Apoll. Reg. Tyr. 15, 19 'miserere, quicunque es, senior' scripta cadere mihi videtur: 'Wir irren wohl nicht', inquit, 'wenn wir in diesem Gebrauch des Wortes die ersten Anfänge zu der im Romanischen jetzt allgemein üblichen Anrede erkennen: ital. signore, span. senor, franz. monsieur, verkürzt aus dem ebenfalls noch erhaltenen monseigneur. Doch steht das Wort an unserer Stelle noch in der ursprünglichen Kraft, erst allmählich hat sich die Bedeutung abgeschwächt und verallgemeinert'. Nec praetereo vocabulum *praesumptus*, quod Dr. V. 91 'quando fugax praesumptus erit vel debilis audax?' legimus et quod Rossbergius Fleckeis. Jahrbb. vol. 127 (1883) p. 571 etiam Oresteae versui 326 pro Maehlyano 'praestructa' et Baehrensiano 'praefulta' inseri vult. Rossbergium enim si sequimur, qui simplicius, quam illi, codicis B. scripturam p̄sūta supplet, 'praesumptus' utroque loco activam sententiam habet idemque atque 'audax' declarat, quam potestatem praeterquam Corippus Joh. 4, 550 'natus et eximius sumptis praesumptior armis' huic voci subiecit, ut Forcellini arbitratur, 'active qui praesumit' explanans, quod 'praesumere' verbum infra perstringetur.

3. Item pronomen vester de una tantum persona, non, ut mos ususque postulat, de pluribus dictum et Oresteae v. 77 et Dr. I. 16. III. 16. IV. 9. VIII. 375. 631. IX. 135. 147. X. 95. 596. Sat. 299; cf. VIII. 374 ('vos' pro 'te'),

IX. 35 ('parcitis' = parcis) congruenter contineri mihi testificandum est. Quod loquendi genus, in hominibus summa cum reverentia compellandis ortum, sequioris aevi poetis iam haud infrequens est, veluti ante Dracontium Apollinari Sidonio: cf. carm. XXIII 'Seu vestros Philomela torva planctus', ibid.: 'Seu nos atria vestra continebant, Marcelline meus'; post Dracontium Corippo: cf. Just. ded. 21. 22. 45. I. 131. II. 69. III. 302—3, 305—6—7. IV. 140—1. Paulatim nimirum una cum aliis erroribus multo latius serpsit, in libello de Constantino Magno eiusque matre Helena[1]) urbanum ac sollemne[2]) longe iam superat atque ita in linguas quoque recentiores facile sibi viam patefecit.

4. Pariter coniunctionis vel, particulae copulativae et vicariae, usus infimam latinitatem aspirat et apud Claudianum (v. Paucker. 'de latin. Claudian.' Mus. Rhen. 35. 586), Sidonium (cf. carm. II. 'terra vel unda tremant', ep. 4. 20), Cassiodorium (cf. Var. 12, 22 .. 'olei vel tritici fecunditate' ..), Victorem Vitensem (cf. I. 8 'vasa aurea vel argentea distrahere', 16 'amissa domo vel substantia', II. 11 'vocibus vel lacrimis'), alios[3]), reperitur. Qua in re rursus Orestis conditor eximie cum Dracontio consentit, quorum uterque ea potissimum de causa, ut hoc pacto hiatus vitetur et syllaba, quae antecedit, positione longa fiat, 'vel' coniunctione non solum abutitur, sed etiam simul illos decrescentis latinitatis scriptores longe longeque in ea ponenda superat, cf. Or. vv. 38. 271. 362. 505. 565. 649. Dr. V. 133. 155. VI. 6. 36. 88. VII. 21. VIII. 77. 452. 492. 515. 564. 613. IX. 38. 61. 133. 231. X. 31. 197. 203. 352. 335. 362. 553. 576. Sat. 8. 77. 230. 257. Dd. I. 266. 397. 717. II. 94. 130. 459. 582. 645. III. 134. 222. 588.

1) ed. E. Heydenreich, Lipsiae 1879. — 2) cf. *Thielmann* 'Ueber Sprache . . des Apolloniusrom.' p. 42: 'Ist demnach dieser Gebrauch in der hist. Ap. noch in seinen ersten Anfängen, so ist er im Konstantinroman bereits vollständig entwickelt, und fast jede Seite bietet Beläge dafür'. — 3) vid. *Rönsch* p. 345. et cf. *Woelfflin.* 'Latinität des Cass. Felix' p. 428: 'weil sie (sc. die Afrikaner) überhaupt et und vel oft durcheinanderwerfen'.

5. Neque verborum vis inferiore linguae latinae aetate incolumis atque intacta permansit. Cum enim verba, quae transitiva dicuntur, optimi prosae scriptores ac poetae ab intransitivis severe seiungant, senescentis latinitatis auctores falso interdum sub uno alterove verbo sententiam oppositam et contrariam subiciunt, id discrimen despicientes. Praeter alia huc pertinent transitive ab Apuleio (met. 4) adhibitum 'pullulare': 'terras Venerem aliam virginali flore praeditam pullulasse', verba transitiva neutrorum more collocata 'demergere' apud Commodianum Inst. 2, 39, 21 et 'movere' in Symmachi ep. 1, 3: 'nam postquam terra movit' et quae Kaulen in opusculo suo p. 158 sqq. (cf. Rönsch p. 376) ex latina novi Foederis librorum interpretatione, quam Vulgatam vocant, enotavit, ubi verba transitiva intransitive posita et vice versa intransitiva transitive usurpata deprehenduntur [1]). Tali modo commista transitivorum et intransitivorum verborum significatio etiam in Orestis tragoedia pariter atque in reliquis carminibus offendit itemque eam loco gravis argumenti sumo, Dracontium Oresteae quoque esse opificem. An quisquam affirmabit, caeco casu factum esse, ut idem verbum *mergere*, quod etiam recte potestatem activam ibidem habet, semel et Oresteae versui 372 et Medeae versui 499 ('ne-machina mergat') neutrorum more accommodatum extet, praesertim cum Dracontius eadem ratione vituperanda ac novi Testamenti interpres [2]) alia quoque verba transitiva et legitime transitive et perperam intransitive sermoni suo arrogaverit, veluti 'frangere' VIII. 330 'frangat dolor' (at Sat. 147 'frangitur ira'), 'temperare' VIII. 330 'temperet invidia', 'rumpere' V. 17 'classica rumpunt', X. 223 'suspiria rumpunt', X. 579 'rumperet cum messis aristis', 'crispare' VIII. 352. 412., 'siccare' [3]) IX. 86 'siccantibus medullis', at trans. VIII. 75 'siccavit aquas'? Ex mea opinione pernegandum est, nisi forte etiam ex contrario

1) cf. praeterea *Zink* 'Fulgent.' p. 43. — *Gams* 'die Kirchengeschichte von Spanien', vol. I. (1862) p. 98. — 2) cf. Kaulen p. 160: alle diese Verba kommen auch in der Vulgata als Intransitiva vor'. — 3) absolute etiam Cato R.R. 112, 2: 'uvas relinquito .. et ubi pluerit et siccaverit, tum deligito'. —

verba *palpitare*[1]) Or. 728 'male partitos palpitat artus', V. 281 'tremibundos palpitat artus', X. 244 'male palpitat artus', et *plorare* Or. v. 63 'vultus gaudia plorant' et Dd. I. 324 'plorant virgulta balsama', rursus felici casu utroque loco cum accusativo coniuncta nobis offerri putabimus, sicut 'aliquam rem pluere'[2]) Dr. II. 23 ('tecta divitias'), V. 27 ('Martia tela pluuntur'), Dd. I. 63 ('pluit imber aquas gelidas') praeter consuetudinem legitur. Quo ipso dicendi genere fluctuanti atque ancipiti factum esse arbitror, ut in consarcinanda Orestea 'pulcrescere' (v. 128) et 'tepescere' (v. 583) verbis significatio activa subiceretur, cum eidem huic voci 'tepescere' VIII. v. 349 ('regis iam corda tepescunt') potestas naturalis ac iusta sit itemque reliqua verba inchoativa verum ubique sonent, quam inversam usurpationem accuratius supra § 4. B extr. pertexui.

His, quae plurimum valent, allatis, verba memoratu minus digna nec tamen propter vim, quae aevo posteriore occurrit, prorsus silentio transeunda *merere* vel *mereri* et *praesumere* relinquuntur, quorum alterum pro 'impetrare', 'obtinere' accipiendum obviam venit Or. vv. 753. 814. Dr. V. 51. 60. 329. VIII. 25. 284. 333. 516. X. 316. 330. 592. 595. Sat. 92. 159. 180. Dd. I. 136. 140. 150. II. 95. 268. 640. 650. 656. 672. III. 63 (cf. Min. Fel. 5, 12. 6, 1. 3. Augustin. 'd. c. d.' 1, 15, al. cf. Paucker 'subrel. lex. lat. scrut.' p. 45 sqq.), alterum, quod eundem ac 'suscipere' vel 'audere' significatum habet, Or. 930 et Dd. III. 205 ('praesumpsit homo') reperitur, quo sensu item recentiores demum scriptores 'praesumere' adhibent, veluti Sextus Rufus, Breviar. 7, auctor Paneg. ad Const. 2, Sulpic. Sever. Hist. Sacr. I. 47 ('illicita praesumens'), cf. Rönsch, p. 376. Quibus *verba dare*[3]) locutionem adicere mihi lubet, quae poetis comicis maxime usitata cum idem semper ac 'decipere'[4]), circumvenire' declaret (cf. Landgraf 'Blätter f.

1) cf. Paucker 'Spicil. addend. lex. Lat.' p. 112. — 2) cf. Kaulen, p. 160. — 3) cf. 'dicta dare' Verg. Aen. 2, 790. 3, 169. Liv. 22, 50, 10. 3, 61, 7. — 4) cf. Plaut. Aul. 1. 1. 23. Rud. 2, 2, 19. Terent. Andr. 3, 2, 24. Hor. Sat. 1, 3, 22. Mart. 2, 76. — cf. Quadrig. ap. Gell. 17. 2, 24.

d. Bayerische Gymn.- u. Real-Schw.' 16 (1880) p. 325), et Or. 767 et Dd. III. 455. Sat. 48 insolenter pro 'verba facere' 'loqui' collocata deprehenditur ac manifesto inquinatam saeculi post Christum natum quarti et sequentium latinitatem redolet, ubi locutiones 'columnam, exitum, tribunum dare' pro 'facere'[1]) offeruntur. Idem 'facere' verbum, quod vulgus saepissime cum substantivis copulat itaque ad verba simplicia circumscribenda usurpat (cf. Koehler ('de auct. bell. Afric.' etc.) p. 84 sqq.), simillime aliis quoque locis putida cura devitatur, sicut poetarum more Or. 671. Dr. VIII. 110 convenienter 'gressus celeres dare' pro 'gressus facere' dictum est.

II. De pluribus Oresteae eiusmodi proprietatibus.

Postquam ex hac copia verborum ac dictionum, quae ad corruptam ac labentem latinitatem referenda sunt, omnia ea, quibus Oresteae auctor et Dracontius communiter utuntur, enumeravi, ne mancam quodammodo atque inchoatam hanc dissertationis particulam relinquerem, veritus, reliquas tales locutiones, quae ex Orestea emergunt et ad vetustatem carminis finiendam vim habent, adicere iisque, quoad fieri poterit, alias, quas cetera Dracontii poemata amplectuntur, comparare animum induxi.

Ut igitur a substantivis incipiam, primum nomen in — mentum desinens *indumentum* (Or. v. 211) annotabo, quod suffixum recentiorem aetatem acriter resipere viri studiis florentes satis superque ex occasione probaverunt[2]). Et profecto, nisi Forcellin. me fallit, 'indumentum' nemo ante Gellium 16, 19, 12. 5, 7 adhibuit, cui Dracontianum alterum *decrementum* (Dd. III. 527) pulcherrime convenit, quod apud eundem Gellium scriptorem 3, 10, 11 inveniri summopere animadvertamus oportet. Neque aliter verbale nomen *praeventor* (Or. 213 'egredere, praeventor atrox: violentus Atridis') sese habet, quales vocum fictiones Afri-

1) vid. *Paucker* 'de lat. scr. hist. aug.' p. 56. — 2) cf. *Roensch*, p. 22 sqq. — *Paucker* 'de latin. script. histor. aug. mel.' pp. 12*—14*. — al. —

canis scriptoribus maxime deberi Schmidtius[1]) permultis exemplis a Tertulliano petitis docuit. 'Praeventor' enim legitur atque enucleatur apud solum Marcellinum 18, 9: (praeventores et superventores) 'sunt militum genus a pugnae opinor ineundae tempore atque ordine appellati', quacum voce alias Dracontianas probe conferre possumus, cum existant: *rigator* (Dd. I. 552), *factor* (Dd. III, 532), *orbatrix* (Dd. III. 327 'secures orbatrices suorum'), *relatrix* (fama) (IX. 17), quarum priores duae apud inquinatae demum latinitatis auctores, cf. Tert. adv. Valent. 15 extr. ('o fletum rigatorem'), Pallad. I, 6, 2. Coripp. I. 340, posteriores 'orbatrix' ('orbator' Ovid. Met. XIII. 500) et 'relatrix' nusquam nisi Dracontianis locis, quos modo attuli, reperiuntur, sicut vox *iugulatrix* in solo Oresteae versu 590 offertur. — Eodem pertinent etiam quae sequuntur *festivum* Or. v. 2 ('festiva cruenta') pariter ac Dd. III. 367 ('festiva recedunt') substantivi 'festum' vice positum, quem usum unus Lamprid. Heliog. 11 ('ut in vindemiarum festivo multa in dominos iocularia dicerentur') tuetur, et nominis *gaza* quartus pluralis numeri casus Or. v. 290 'a' litera terminatus, ac si nominativus 'gazum' neutrius, non 'gaza' feminini generis sit. Quae vitiosa generis permutatio in eodem vocabulo in Commodiani quoque carminibus, qui III. 13. 13. II. 30. 14 dativi et ablativi formam 'gazo' suppeditat, et in laudibus Justini minoris IV. 334, ubi Corippus aeque ac scriptor Oresteae accusativum 'gaza' exhibet ('augusti servans pia gaza sacelli'), deprehenditur, neque in altero substantivo apud Dracontium desideratur, cum *palpebra* Dd. III. 619 'Et palpebra tegunt[2]) luces mundantque fenetras' simillimam nominativi pluralis inclinationem habeat, quod ipsum genus huic voci suo tempore plebeios homines tribuisse Non. p. 218, 19 testatur et nimirum Cael. Aur. tard. 2, 1 impertivit, ubi scriptum est: 'Palpebrum

1) *Schmidt* 'commentatio de nominum verbalium in 'tor' et 'trix' desinentium apud Tertull. copia ac vi'. Gymn. Reg. Erlang. 1878. — cf. *Paucker* 'de lat. script. hist. aug.' pp. 7* sq. — 'Spicileg. add. lex. at.' pp. 10. 11. 25. 32 etc. — 2) cf. Cic. N. D. 2, 57 'Palpebrae quae sunt tegumenta oculorum etc.'

superius paralysi vitiatum laxius fit'. Plura generis commutati exempla Pauckerus apud scriptores historiae augustae (cf. 'de latin. script. hist. aug. mel.' p. 64 sqq.) indagavit idemque (ibid. pp. 4* sqq.) verbales voces 'tus' syllaba finitas, cuiusmodi Oresteae versu 465 *adoratus* continetur, pro vocibus in-io desinentibus posteriores maxime adamavisse ostendit, quamquam iam argenteae latinitatis auctores Tacitus, Plinius, alii, eas non respuebant, cf. 'relatus' pro 'relatio' Tacit. hist. 1, 30, 'palpitatus' Plin. 9, 30 ('palpitatio' id. 32, 5, 10. 11, 4.).

Proximum ab his substantivis locum adiectivum *complex* obtinet, quod eodem sensu atque Orestis tragoediae auctor vv. 678 et 758, ubi *sceleris complex* idem ac 'sceleris particeps' significat, primus Ambrosius de off. III. 4 usurpavit: 'complex honestatis est utilitas et utilitatis honestas'. Cui notabilius alterum *undivagus* (Or. v. 363 'undivagi fluctus') addendum est, non propter activam notionem, quam in apposito quoque 'fluctivagus', etsi apud Statium Silv. III. 1. 84. Theb. I. 271 vi passiva praeditum reperitur, Or. v. 43 'candida fluctivagi tendebant carbasa venti' sine causa, cum iam Lucretius I. 404 'montivagae ferae' dixerit, Maehly'us vituperavit, acrius neque hercule merito (p. XIII) in Orestis auctorem 'ut rudem imperitumque plane linguae latinae invectus', sed propter ipsam verborum consociationem, ad quam copulatio Dd. I. 452 'imbriferis pluviis' praeclare quadrat, et propterea, quod adiectivum 'undivagus' tantum in Corippi Iohannide (VI. 342 'latices undivagi', VII. 344 'salum undivagum') et in epigrammate Palladii (Anthol. lat. V. 7 'Thetis undivaga') legitur.

Verba autem iusti ponderis esse censeo imprimis *quaero*, quod 'in potestatem verborum postulare, velle, a propria vi exorbitat' et Or. v. 629 'ibant obscuri *quaerentes ausa latere*' accusativum cum infinitivo connexum insolenter secum ducit, cui neutiquam ille dissimilis est, quem Dracontius IX. 78 'Hectoreum si forte *canes laniare cadaver* ipse *paras*' ex vocabulo *parare* aptum fecit, et *dispono* Or. 155 'facinusque *parare disponit* sub corde truci' cum infini-

tivo 'parare' coniunctum, quocum infinitivus verbo 'trahere' obsecutus Or. v. 322 'proceresque novos veteresque trahemus in nostram transire fidem' conferri potest. Atque illius structurae saltem unum exemplum, quod apud Commodianum inveni in secundi instructionum libri carm. 15. v. 11 'mites sibi quaerit filios esse' mē tecum communicare posse magnopere gaudeo, hanc Palladius Apr. 2, 1. Oct. 11, 2 sanxit et post eum alii, veluti Ammianus Marcellinus 23, 5. 25, 6, Dares Phrygius 9, 15, 12. 13, 13. 2 usurpaverunt. Quibus expeditis, versus 951 'quis temerator erit caelestia iura movere' succedit aeger ideoque minus explicatione quam curatione indigens iam L. Muellero visus, qui codicum manu scriptorum lectionem coniectura 'quis temere auctor erit' sollicitavit, qua haud scio an melior sit, quam equidem conatus sum facere 'quis temere audebit', literis R et B in syllaba ultima lenissime immutatis.

§ 6. De vocibus aut nusquam alibi aut eodem modo nusquam alibi adhibitis.

Quamquam iam proprietatibus linguae hucusque explicatis satis me demonstravisse arbitror, neminem nisi Dracontium Orestis tragoediae auctorem existimari oportere, tamen hoc campo nondum mihi decedere licet, immo vero reliquum est, ut res in hac quaestione dirimenda omnium gravissimas in medium proferam. Inter quas numerandae sunt:

1. voces noviciae, quae nusquam alibi obviam fiunt. Etenim poetarum licentia usus praecedentesque imitatus Dracontius quoque haud infeliciter vocabula nova 'cinctutis non exaudita Cethegis' composuit. Quorum utroque loco, semel vel bis in Orestea et semel in alio versu Dracontiano adhibita, duo occurrunt: *plectrifer*, quo epitheto in Oresteae versu 86 et in Medeae versu 285 Apollo deus ornatur, et *diademalis*, quod nomen adiectivum idem ac 'diademate instructus' sonat itemque tantum Or. vv. 260. 319 et Sat. v. 33 scriptum extat. Ac vocabulum posterius et alterum eiusmodi *coruscalis*, quod in uno Oresteae versu 244 deprehenditur, iam supra cum reliquis, quae eundem

exitum habent, allata invenies, nec minus 'plectrifer' apposito aliae voces ab eodem auctore confictae bene congruunt, leguntur enim praeterea: 'triumphiger' (Sat. 22 'bella triumphigera'), 'planctiger' (Or. 118 'publica planctigeris execrans gaudia votis'), sicut vocabulis hac ratione formatis Prudentius tribus: 'aristifer' Cath. III. 52, 'columnifer' Perist. III. 52, 'spiniger' Perist. XI. 120, et Apollinaris Sidonius his quatuor: 'pennifer' carm. 2. 309 'tigrifer' (Niphates) 2. 444, 'occifer', 'cyparissifer' (Lycaeus) 23. 417 linguam latinam ditaverunt[1]).

2. Tum mirae copulationis palpitare aliquam rem (artus) hoc loco mentionem faciam necesse est, quae nusquam alibi nisi semel in Orestea (v. 728 'et male partitos per vulnera palpitat artus') et bis in reliquis Dracontii epylliis (V. 281. X. 244) occurrit. Quam constructionem cum opportuno tempore iam supra exposuerim, nulla est causa, cur denuo persequar, sufficitque memoriam eius hic revocavisse.

3. Denique palla substantivum attingam, quod longam vestem muliebrem significat neque ineleganter per translationem in Oresteae versu 805 ('roscida somnigerum revocabat palla soporem') pariter ac Dd. II. v. 521 ('tum niger axis erat, quem lurida palla tegebat') nocti more poetico tributum est[2]), cum simili coniunctione hanc vocem a quoquam alio loco usurpatam me reperisse non meminerim.

Caput III.

Afferuntur imitationes eorundem poetarum utroque loco conspicuae.

Quantopere scripturae genere Orestis auctor cum Dracontio concinat, ex his, quae attulimus, satis cognosci posse

1) cf. praeterea Carol. *Paucker* 'Spicileg. addend. lexic. lat.' pp. 212 et 213. — 2) cf. *Schiller* 'Wilh. Tell': II. Aufz. 2. Scene, Walther Fürst:

'Und bei der Nacht, die ihren schwarzen Mantel
Nur dem Verbrechen und der sonnenscheuen
Verschwörung leihet . . .'

autumo. Atqui quam facile elocutionis differentia gigni possit, quis est qui ignoret? Exempli causa percurre, quaeso, Commodiani carmina, quae 'vulgarismis' scatent, quorum non pauci et in Orestea et in carminibus Neapolitanis devitantur. Ne longus sim, depromo verbum 'frui', quod nusquam apud Dracontium cum accusativo copulatur, et neutr. adv. 'quoniam', quod cum etiam Commodianus, sicut alii Afri, in locum accusativi et infinitivi adhibeat, neque Orestea neque reliqua Dracontii poemata nobis ita usurpatum praebent, quam notabilem rem iam supra (§ 4. A) commemoravimus.

Nihilo tamen minus, quamvis mirus quidam omnium rerum quasi consensus concentusque reperiatur, forsitan quispiam se cogi neget, ut in eandem sententiam mecum abeat, cum animo effingi possit, aliquem extitisse, qui, quo facilius in errorem induceremur, in carmine Orestis componendo etiam Dracontii peccata grammatica de industria et consulto in usum suum converteret. In iis igitur, quae disputavi, acquiescere non possum; immo, ut omnis dubitatio tollatur et aptus finis huic explicationi imponatur, hoc tertio primae quaestionis capite doceam necesse est, eosdem poetas in Orestea atque in Dracontianis epylliis imitando expressos inveniri. Cuius investigationis partem cum iam a Rossbergio dissertatione illa Gottingensi, quam supra notavi, tractatam repererim, ubi Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani vestigia indagata sunt, restat, ut aliorum poetarum locos, qui et apud Dracontium et apud Orestis conscriptorem occurrunt, illis adiciam. Neque enim eae imitationes, quae ibi allatae sunt, ad sententiam confirmandam mihi sufficiunt, cum equidem mirari non possim, illorum carminum amplissimorum et illustrissimorum, quae, puto, unusquisque posterioris temporis scriptor summo cum studio lectitavit, tam plenam et perfectam scientiam utrumque auctorem habuisse, ut ad praestantissimos fontes semper eis aditus pateret eisque in elaborandis operibus, ubicunque aptum erat, formulae simillimae in mentem venirent. Quare investigandi cupiditate commotus longius progrediar et rem institutam ita continuabo, ut etiam a Lucretio,

Catullo, Tibullo, Propertio, Horatio, Seneca (ed. Peiper et Richter, Lips. 1867), Valerio Flacco, auctore Homeri Latini (ed. Luc. Mueller, Berl. 1857) — quem auctorem Silium Italicum esse Buechelerus suspicatus est (Mus. Rhen. 35. p. 390) et accuratius Doering ostendit ('Ueber den Homerus Latinus'. Beilage z. Progr. des Lyceum z. Strassburg 1884), negavit Aem. Baehrensius (Poet. lat. min. III. p. 3) — Iuvenale, aliis, versuum particulas desumptas esse exemplis comprobem.

Sed etiam illorum quinque poetarum opera, in quibus Rossbergius versatus est, perlustravi et permultos locos ab eo praetermissos, praecipue Ovidianos inveni, ut non assentiar viro docto p. 9 perperam dicenti: 'Ovidium parcissime secutus est Dracontius', quas imitationes manifestas item tecum communicabo. Etenim recte idem Rossbergius p. 6 monet, non solum ad litem de auctore Oresteae diiudicandam has imitationes usui esse, verum etiam aliam utilitatem vix minoris aestimandam inde percipi posse, cum textus tam Dracontii quam eorum poetarum, a quibus desumptae sint, carminum constituendi auxilia criticis grata suppeditent. Quam utilitatem etiam eae imitationes, quas equidem investigavi, afferunt, cum simul magno momento ad criticam factitandam sint, cuius rei statim specimen dabo.

Oresteae v. 403, si Lucan. V. 282 'scire rogum. liceat morbis finire senectam' respicimus, secundum Ambrosianum codicem: 'unica mors restat morbis finire senectam' scribere debemus, non secundum Bernensem 'finire salutem', quam depravatam lectionem propter exitum v. 401 'refovete senectam', opinor, editores Oresteae ad unum omnes recepisse video, unde Ambrosianum codicem nullius pretii, quod Rossbergius p. 6 contendit, patet non esse. Idem Ambrosianus etiam v. 221 'audacem faciebat amor', cuius hemistichii Ovid. Met. IV. 96 auctor est, et v. 971 'quod sit narrare pudori' (Baehr. carm. min. 'pudoris') recte exhibet, cum hic versus Ovid. vers. Met. VII. 687 'quae petit, ille refert. sed enim narrare pudori est' insignem similitudinem gerat. Porro legendum est in versu Or. 471

'post membra solutae si remanent animae', non 'soluta', propter Stat. Theb. XII. 265 'effigies extantque animae post membra solutae'; 727 'ossibus et fractis' (B), non 'ossibus ecfractis', propter Coripp. Ioh. IV. 755 'ossibus et fractis pariter per molle cerebrum'; interpungendum in vers. 394 'spondeo iam requiem, placidam sperate quietem', quod locus Claudian. LXXXV. 5 (ed. Jeep) 'clauditur et placidam discit servare quietem' suadet, non post vocem 'placidam'. Baehrensii coniectura Dr. IX. 38 'vel ad ubera parvum (cod. 'velud ubera', Duhn. 'vel ut ubere') Astyanacta tenet' (Fleckeis. Jahrbb. 1873 p. 270) sancitur Hom. Lat. v. 565 'parvumque ad pectora natum Astyanacta tenet', Dr. VII. 157 'frigida ponti pectora flammat' pro 'aequora' (Fleckeis. Jahrbb. 1873 p. 269) funditus refellitur Lucret. V. 1000 sq. 'nec turbida ponti aequora fligebant' itemque lectioni eius Dr. VIII. 229 'faciet te iure maritum' aeque ac Rossbergianae 'virgo' vers. Iuvenal. VI. 619 'non aliter quam si fecisset Iuno maritum' vehementissime repugnat, cuius vocem 'Iuno' quoque Dracontium parum considerate arripuisse opinor, praesertim cum ei maior aliarum rerum discrepantia acciderit, quam infra fusius explanabo.

Itidem societate quadam ac vinculo versus Orest. 102 'his precibus commota dea crudescit in iras' et versus Ovid. Met. V. 41 'tum vero indomitas ardescit vulgus in iras' inter se contineri videntur, nec facere possum, quin huius auxilio illum sic emendem 'his precibus commota dea est, ardescit in iras', cum etiam Dr. V. 254 'cum plebs arderet in ira' legamus et tale abruptum scribendi genus prorsus Dracontianum sit. Male etiam magna cognatio tegitur, quam versus Dr. X. 272 'marcidus interea domitis rediebat ab Indis' cum versu Ovid. Met. XV. 569 'restitit, ut victor domito veniebat ab hoste' (cf. etiam Ovid. Met. V. 295 'ramis veniebat ab altis') habet, ut 'veniebat' illic pro 'rediebat' postulare non verear.

Pari modo plures quoque locos sanandi facultas datur, iisque, si bona valetudine utar, alio tempore medebor. Nunc id tantum refert, ut ad eosdem poetas imitandos

utrumque auctorem sese contulisse appareat; idcirco hae imitationes simpliciter enumerandae sunt, quarum agmen ducent imitationes Vergilii, Ovidii, Lucani, Statii, Claudiani a Rossbergio praetermissae, sequentur illorum poetarum, quos supra iam nominavi, Lucretii, Catulli, Tibulli, Propertii, Horatii, Senecae trag., Valerii Flacci, auctoris Homeri Latini, Iuvenalis, aliorum.

A. Imitationes a Rossbergio praetermissae[1]).

a. Imitationes Vergilii.

Or. 75. Cum, pater, Hectoreos peteretis classibus agros.
Verg. Aen. IV. 313. Troia per undosum peteretur classibus aequor.

Or. 159. Corde premens gemitus et gaudia vultibus aptans.
Verg. Aen. X. 465. Corde premit gemitum lacrimasque effundit inanes.
cf. Verg. Aen. I. 209. Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.

Or. 290. Resque[2]) Agamemnonias et Troica gaza reportat.
Or. 21. Extinctos titulos victriciaque arma sepulta.
Verg. Aen. III. 54. Res Agamemnonias victriciaque arma secutus.

Or. 318. Femineas ostentat opes quas sexus habebat.
Verg. Aen. IV. 75. Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam.

Or. 380. Muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret.
Verg. Aen. V. 532. Muneribus cumulat magnis ac talia fatur.

Or. 386. Non mersere neci, sed adhuc superatis inanes.
Verg. II. 85. Demisere neci, nunc cassum lumine lugent.

Or. 458. Anxia quae gemitum tremulis ululatibus usa.
Vrg. Aen. VII. 395. Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent.

Or. 527. Non pudet, o iuvenes, dixit, pubentibus annis.
Vrg. Aen. XII. 229. Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam.

Or. 597. Sic dabis inferias nostris tu manibus ultor?
Vrg. Aen. IV. 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Or. 695. Postquam introgressum cognoscit turba ministra.

1) Annumerandi quoque sunt loci supra (§ 1. A.) iam indicati, quibus asteriscum non apposui. — 2) spes Agamemnonias: B., spesque Agamemnonias: A.

Verg. Aen. I. 520. Postquam introgressi et coram data copia fandi.
XI. 248.

Or. 823. Ignibus admotis resolutos orbibus angues.
Verg. Aen. II. 204. Horresco referens-immensis orbibus angues.

Or. 825. Terruerant haec monstra virum, fugit[1]) atria lustrans
Sed sequitur . . .
Vg. Aen. II. 528. Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat.
530. Insequitur.. cf. XII. 474... alta atria lustrat hirundo.

Dr. II. 60. Iudicium Paridis vel nostros, nate, triumphos.
Verg. Aen. I. 27. Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae.

Dr. II. 115. Incipiunt fari mediaque in voce resistunt.
Verg. Aen. IV. 76. Incipit effari mediaque in voce resistit.

Dr. VII. 65. Et simplex aetas pueri teneraeque puellae.
Vrg. Aen. VI. 307. Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae.

Dr. VIII. 74. Concidit et Scaeae iacuerunt limina portae.
Vrg. Aen. III. 351. Agnosco Scaeaeque amplector limina portae.
cf. tamen etiam Stat. Theb. VIII. 56. Ferrea Cerbereae patuerunt limina portae.

Dr. VIII. 81. Laomedontiades capitolia celsa petebat.
Vg. Aen. VIII. 653. Stabat pro templo et capitolia celsa tenebat.

Dr. VIII. 180. Cedo loco si forte meo pius esse recusat.
Verg. Aen. II. 704. Cedo equidem nec, nate, tibi comes ire recuso.

Dr. VIII. 186. Et genus ingratum poenas persolvat avari.
Verg. Aen. I. 28. Et genus invisum et rapti Ganymedis honores.

Dr. VIII. 230. Tunc iuvenis gavisus ait: paremus ovantes.
Vrg. Aen. III. 189. Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.
Vrg. Aen. IV. 577. Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.

Dr. VIII. 233. Effatur: tua vota, Paris, di iusta secundent.
Vrg. Aen. VII. 259. Tandem laetus ait: di nostra incepta secundent.

Dr. VIII. 311 sq. Si Priami recidiva domus manet illa tyranni
Post ignes reparata meos . . .
Vg. Aen. IV. 343 sq. Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.

---

1) fugit Rothm. — fuit B., furit A.

Dr. VIII. 382. Vela levant nautae, proras a litore torquent.
Vrg. Aen. III. 532. Vela legunt socii et proras ad litora torquent.

Dr. VIII. 400. Ast ubi dispersos longo videt aequore Troas.
Verg. Aen. I. 128. Disiectam Aeneae toto videt aequore classem.

Dr. VIII. 405. Et rabidum pelagus temnunt latrantibus undis.
Vrg. Aen. VII. 588. Quae sese multis circum latrantibus undis.
cf. Sil. Ital. III. 471. V. 397.

Dr. VIII. 438 sq. Quod nemus Idalium quod continet alta Cythera
Quod Paphon exornat tacitas quod lustrat Amyclas.
Verg. Aen. X. 86. Est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.
Verg. Aen. X. 51. Est Amathus, est celsa Paphus atque alta Cythera
Idaliaeque domus . . .
Verg. Aen. X. 564. Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis.

Dr. VIII. 453. Interea nivei volitant per litora cycni.
Vrg. Aen. VII. 699. Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni.

Dr. VIII. 471. Numina magna vocat puerum matremque Dionen.
Vrg. Aen. III. 264. Numina magna voc$_c$at meritosque indicit honores.

Dr. VIII. 484. Flammabat diffusa humeris, hanc fibula mordax.
Vrg. Aen. XII. 274. Balteus et laterum iuncturas fibula mordet.

Dr. VIII. 552. Pectora colloquiis? Phrygibus tamen arma capessant.
Vrg. Aen. III. 234. Polluit ore dapes. Sociis tunc arma capessant.

Dr. VIII. 643. Pastorale canit. lituus nil dulce remugit.
Vrg. Aen. VII. 512. Pastorale canit signum cornuque recurvo.

Dr. X. 181 sq. Nudato mucrone furens. delubra subibant
Iamque propinquabant aris . . .
Vg. A. IX. 371. Iamque propinquabant castris murosque subibant.
cf. XI. 621. Iamque propinquabant portis . . .

Dr. X. 394. Adstabat deiecta oculos confessa reatum.
Vrg. Aen. XI. 480. Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros.

Dr. X. 396. Astrorum princeps, signorum gratia fulgens.
404. Tu nemorum custos . . .
Vrg. Aen. IX. 405. Astrorum decus et nemorum Latonia custos.

Dr. X. 426. Inlustres animas, niveam cum Iasone Glaucen.
Vrg. Aen. VI. 758. Inlustres animas nostrumque in nomen ituras.

---

b. Imitationes Ovidii.

Or. 12. Fraude pia mendax melior germana sacerdos.
Ovid. M. VIII. 475. Incipit esse tamen melior germana parente.

Or. 47. Ipse secuturus post vota soluta Dianae.
Ovid. Met. V. 289. Ipse secuturo similis stetit arduus arce.

Or. 65. Tandem vocis iter pietas reseravit et infit.
Ovid. M. IV. 69. Et vocis fecistis iter: tutaeque per illud.

Or. 77. Nomina vestra tenens, quasi iusseris ipsa venirem.
Ovid. M. IV. 111. In loca plena metus qui iussi nocte venires.

Or. 102. His precibus commota dea crudescit in iras.
Ovid. M. V. 41. Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras.

Or. 116. Qua visa cessere loco matresque nurusque.
Ovid. M. III. 529 et IV. 9 . . . . . matresque nurusque.

Or. 178. Per te casta negor, per te fero damna pudoris.
Ovid. Ars am. I. 100. Ille locus casti damna pudoris habet.

Or. 223. Absentemque ferit pavidus quem non videt hostem.
Ov. M. XIII. 546. Signaque nacta pedum sequitur quem non videt hostem.

Or. 56. Noverat et similem nasci potuisse putabat.
Ovid. M. VII. 370. Miraturus erat nasci potuisse columbam.
ibid. XV. 388. Ni sciret fieri, quis nasci posse putaret?

Or. 151. Me miseram! furor alter habet, purgandus Orestes.
Ovid. M. VIII. 509. IX. 475. X. 334. al. Me miseram . . .

Or. 233. Regia puppis adest variis ornata coronis.
Ovid. M. VII. 492. Attica puppis adest in portusque intrat amicos.

Or. 257. Illa manum retinens armatum accivit Egistum.
Ovid. M. VI. 35. Vixque manum retinens confessaque vultibus iram.

Or. 262. Terque quaterque ferit, diffundit in ora cerebrum.
Ov. M. XII. 288 sq. Terque quaterque gravi iuncturas verticis ictu
Rupit et in liquido sederunt ossa cerebro.

Or. 264. Saucius et tremulo quatiebat corpore terram.
Ovid. M. VIII. 375. Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.

Or. 288. Et bene sollicita studiis sapientibus addit.
Ovid. M. I. 199. Confremuere omnes studiisque ardentibus ausum.

Or. 294. Exercebat opus iuvenes si forte palaestrae.
Ovid. M. VI. 241. Transierant ad opus nitidae iuvenale palaestrae.

Or. 358 sq. Naturae caelestis amor, mendacibus ausis
Vos, precor, adnuite, fallacia vota iuvate.
Ovid. M. VII. 178. Adiuvet et praesens ingentibus adnuat ausis.

Or. 409. Germinis ille sui crudelis et impius hostis.
Ovid. M. XIV. 736. Haec tibi serta placent, crudelis et impia? dixit.

Or. 484. Rumpite tartareas proscisso gutture fauces.
Ovid. VII. 203. Vipereas rumpo verbis et carmine fauces.

Or. 699. Claustra ligant aditus, crepuerunt classica Martis.
Ovid. M. VIII. 69 sq. . . . aditus custodia servat | Claustraque . . . .

Or. 727. Ossibus effractis[1]) minuunt per mille secures.
Ovid. M. V. 58. Perculit et fractis confudit in ossibus ora.

Or. 769. Accipito inferias, quas offero. victima iusta est.
Ovid. M. VIII. 490. Accipite inferias, uteri mala pignora nostri.

Or. 787 sq. Concidit et tunicam manibus tendebat ad imos
Usque pedes metuens, ne mortua nuda iaceret.
Ov. M. XIII. 477 sq. Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas
Cum caderet castique decus servare pudoris.

Or. 789. Maesta verecundo volvebat lumina visu.
Ovid. M. XIV. 840. Illa verecundo vix tollens lumina vultu.

Or. 797 (leones) Caede iuvencarum satiati lustra reposcunt.
Ovid. M. X. 541. Vitat et armenti saturatos caede leones.

Or. 813. Ibo ego per gladios flammas et mille cohortes.
Ov. Epist. XVI. 246. Ibit per gladios, ei mihi! noster amor.

Or. 828. Obice postposito (?) mox ianua clauditur omnis.
Ov. M. XIV. 780 sq. Invadunt portasque petunt, quas obice firmo
Clauserat Iliades . . . .

Or. 854. Inter delicias epulis regalibus aptas.
Ovid. M. VI. 488. Regales epulae mensis et Bacchus in auro.

Or. 906. Cuius in exitium sat erit non culleus unus.
Ovid. M. VII. 406. Huius in exitium miscet Medea quod olim.

---

1) ossibus et fractis: cod. B. — cf. Coripp. Ioh. IV. 755: 'Ossibus et fractis pariter per molle cerebrum'.

Or. 944. Calculus albus erat, habuit quem dextra Minervae.
Ovid. M. V. 589. Calculus omnis erat, quas tu vix ire putares.

Or. 971. Innumerumque nefas, quod sit narrare pudori.
Ovid. M. VII. 687. Quae petit, ille refert. Sed enim narrare pudoriest.

Dr. II. 2. In melius, si Musa mones: quis casus ademit.
Ovid. M. IV. 142. 'Pyrame' clamavit 'quis te mihi casus ademit.

Dr. II. 101. Ex quibus una tàmen cunctas adfata sorores.
Ovid. M. V. 255. Constitit et doctas sic est adfata sorores.

Dr. III. 19. Tu mihi numen eris si carmina nostra levaris.
Ovid. M. XIV. 124. Numinis instar eris semper mihi meque fàtebor.
ibid. X. 205. Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.

Dr. V. 284. Perfundat moribunda, solo cum mordet arenam.
Ovid. M. IX. 61. Pressa genu nostro est, et harenas ore momordi.

Dr. VI. 4. Facundos vos fecit amor. Venus, alma potestas.
Ovid. M. VI. 469. Facundum faciebat amor: quotiensque rogabat.

Dr. VI. 35. Quas dedit una domus, domus excipit una sorores.
Ovid. Herd. IV. 143. Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
Met. I. 240. Occidit una domus. sed non domus una perire.
ibid. XIII. 480. Priamidas et quod dederit domus una cruoris.

Dr. VII. 38. Ebrius interea nutet Silenus asello.
Ovid. Arsam. I. 543. Ebrius ecce senex pando Silenus asello | Vix sedet.

Dr. VII. 52. Unguibus infensis quam vulnerat ora mariti.
Ovid. M. XII. 558. Hamatisque viri laniaverat unguibus ora.
cf. tamen Claud. 31, 135 sqq. (Rossberg. p. 31.)

Dr. VIII. 94. Troile, frater ego. fratrem cognoscite vestrum.
Ovid. M. III. 230. Actaeon ego sum, dominum cognoscite vestrum.

Dr. VIII. 208. Cum procul a villa fumantia tecta viderem.
Ovid. M. XIII. 419. Troades et patriae fumantia tecta relinquunt.
cf. tamen Verg. ecl. I. 82. (Rossberg p. 14.)

Dr. VIII. 254. Hospitio Telamon. ramos frondentis olivae.
Ovid. M. VIII. 295. Bacaque cum ramis semper frondentis olivae [1]).

---

1) cf. tamen Riese: 'Anthol'. Fasc. 2. p. 172 (carm. codicis Corbeiensis cuiusdam [cento de Christo]) v. 93: 'Exuberat fetus ramos frondentis olivae'.

Dr. VIII. 296 sq. . . . quibus Ilios ingens | Victa iacet . . .
Ovid. M. XIII. 503. Aeacidae fecunda fui. iacet Ilion ingens.

Dr. VIII. 379. Sic fatus. dixere vale regemque salutant.
Ovid. M. IV. 79. Sub noctem dixere vale partique dedere.
ibid. VII. 651. Adspicio noscoque. adeunt regemque salutant.

Dr. VIII. 435. Cypro festa dies natalis forte Dionae.
Ovid. M. X. 270. Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro.

Dr. VIII. 436. Illa luce fuit. veniunt ad sacra Cytherae.
Ovid. VII. 85. Illa luce fuit: posses ignoscere amanti.

Dr. VIII. 453. Interea nivei volitant per litora cycni.
Ovid. M. X. 247. Interea niveum mira feliciter arte.
cf. tamen supra Verg. Aen. VII. 699.

Dr. VIII. 490. Aspicit hunc errans oculis ornata Lacaena.
Ovid. M. III. 578. Adspicit hunc Pentheus oculis quos ira tremendos.
cf. ibid. VIII. 466. Saepe suum fervens oculis dabat ira pudorem.

Dr. VIII. 579. Perdit et elusa feritas pietate nocenti.
Ovid. Heroid. XII. 129. Quid referam Peliae natas pietate nocentes.

Dr. VIII. 614. Per freta conspiciunt notam de litore classem.
Ovid. Amor. II. 11. 43. Primus ego aspiciam notam de litore puppim.

Dr. IX. 93. Te tamen, Iliacae populator gentis, Achillem.
Ovid. M. XII. 598. Vivit adhuc, operis nostri populator, Achilles.

Dr. IX. 205. Atque iterum blandas iuvenili pollice chordas.
Ovid. M. V. 339. Calliope querulas praetemptat pollice chordas.
ibid. X. 145. Ut satis impulsas temptavit pollice chordas.

Dr. X. 38 sq. Expavit, nam monstra putat: Quis crederet umquam.
Per freta per rabidas hominem transire procellas?
Ovid. Ars am. II. 43 sq. Ingenium mala saepe movent. Quis crederet unquam
Aerias hominem carpere posse vias?

Dr. X. 48 sq. Quem sequitur directa manus capiuntque paventem
Et manibus post terga ligant. tunc Iuno Cytheren.
Ovid. M. III. 575. Cepimus: et tradunt manibus post terga ligatis.

Dr. X. 79 sq. . . . . cui brachia collum | Circumdent . . .
Ovid. M. IX. 460. Quod sua fraterno circumdet brachia collo.

Dr. X. 102. Sic ubi puniceos rutilans Aurora capillos.
Ovid. M. V. 440. Illam non udis veniens Aurora capillis.

Dr. X. 258. Vestibus indutum Tyriis, quas sericus ambit.
Ovid. M. V. 51. Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat.

Dr. X. 268. sq. Ad thalamos post templa ruit. tunc pronuba Iuno
Adfuit et grates Veneris facunda canebat.
Ovid. Heroid. VI. 43 sq. Non ego sum furto tibi cognita. Pronuba Iuno
Affuit et sertis tempora vinctus Hymen.
(Utroque loco sermo est de Iasone.)
cf. Met. VI. 428. Conubio Prognes iunxit. Non pronuba Iuno.
cf. Verg. Aen. IV. 166.

Dr. X. 222. Stridula tela volant: rapiunt praecordia flammas.
Ovid. M. IX. 173. Nec modus est, sorbent avidae praecordia flammae.

Dr. X. 272. Marcidus interea domitis rediebat(?) ab Indis.
Ovid. M. XV. 569. Restitit ut victor domito veniebat ab hoste.
ibid. V. 295. Voxque salutantum ramis veniebat ab altis.
cf. tamen Stat. Theb. 4, 652. (Rossberg. p. 28.) et Lucan. V. 237.

Dr. X. 340. Quattuor interea Phoebus transegerat annos.
Ovid. M. IX. 715. Tertius interea decimo successerat annus.

Dr. X. 522. Diffugiunt omnes populi conviva ministri.
Ovid. M. VIII. 298. Diffugiunt populi nec se nisi moenibus urbis.

Dr. X. 555. Corpora saeva parens funestos mittit in ignes.
Ovid. M. VIII. 512. Funereum torrem medios coniecit in ignes.

Dr. X. 561. Plumbeus axis erat raptus de quinque sepulcris.
Ovid. M. II. 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae.

Dr. X. 562. Occupat illa gravem funesto corpore currum.
Ovid. M. II. 150. Occupat ille levem iuvenali corpore currum.

Dr. X. 575. Obruit infaustis crudelia semina sulcis.
Ovid. M. I. 123 sq. Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt . . .

Satisf. 60. Humida cum siccis ignea cum gelidis.
Ovid. M. I. 19. Frigida pugnabant calidis, umentia siccis.

c. Imitationes Lucani.

Or. 143. Perdite ne pereat vestri cito fructus amoris.

Luc. V. 794. Extremusque perit tam longi fructus amoris.

Or. 273. Delphica fatidicos quateret cortina recessus.
Luc. V. 70. Delphica fatidici reserat penetralia Phoebi.
cf. tamen Claud. 81, 2 (Rossberg p. 33.)

Or. 403. Unica mors restat morbis finire senectam [1]).
Luc. V. 282. Scire rogum. liceat morbis finire senectam.

Dr. V. 206 sq. Hinc Marius hinc Sylla ferus hinc Cinna cruentus
Inde fuit Caesar, dominatio prima senatus.
Luc. IV, 822 sq. Sulla potens, Mariusque ferox et Cinna cruentus
Caesareae que domus . . . .

Dr. VIII. 181. Pontifices Helenus Laocon sacrata potestas.
Luc. I. 595. Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.

Dr. VIII. 190. Pellere pastorem patriis de sedibus umquam.
Luc. II. 574. Expulit armatam patriis e sedibus urbem.

Dr. VIII. 282. Creditur: 'Iliacas potuit reparare ruinas'.
Luc. IX. 1019. Thessalias quaerens Magnus reparare ruinas.

Dr. VIII. 300. Victori quis victus ait: 'te bella gerente'.
Luc. III. 30. Permisere sequi. veniam, te bella gerente.

Dr. IX. 87. Et longa sub tabe fluant. hoc cuncta sepulcra.
Luc. II. 166. Cum iam tabe fluunt . . . .

Dr. IX. 116. Manibus et superis divisit limite mundos|Imposito..
Luc. II. 11. Fatorum immoto divisit limite mundum.

Dr. X. 177. Impia iam Colchis iam saevior ara Dianae.
Luc. I. 446. Et Taranis Scythiae non mitior ara Dianae.
cf. Dr. V. 139. Taurica crudelis mitis tamen ara Dianae.

Dr. X. 272. Marcidus interea domitis rediebat ab Indis.
Luc. V. 237. Interea domitis Caesar remeabat Iberis.
cf. tamen Ovid. Met. XV. 569 et Stat. Theb. 4. 652.

Satisf. 67. Cerva salutares pasto serpente medullas.
Luc. VI. 673. Defuit, et cervi pasti serpente medullae.

1) finire senectam cod. A., salutem B editores.

d. Imitationes Statii.

Or. 183.....iubeoque rogoque = St. Th. VII. 506...iubeoque rogoque.

Or. 246. Itur in amplexus et reddunt oscula danti.
St. Silv. I. I. 99. Ibit in amplexus natus fraterque paterque.

Or. 255. Callida funereo perfundit corpus amictu.
St. Ach. II. 321. Callida femineo genetrix velavit amictu.

Or. 268. Et perdit vacuos elisis(?) morsibus ictus.
St. Th. V. 169. Credit et elusos audit concurrere morsus.

Or. 377. Saevior unda maris, quae nec post bella pepercit.
St. Th. IX. 379. Mitior unda maris, quae iuxta flumina corpus.

Or. 471 sq. Si sensus post fata manent, post membra solutae
Si remanent animae . . .
St. Th. XII. 264 sq. . . . . si manibus ulla
Effigies extantque animae post membra solutae.

Or. 536. Thesea Pirithous non sic expertus amavit.
St. Th. I. 476. Thesea Pirithoo, vel inanem mentis Orestem.
cf. Verg. Aen. VI. 393.

Or. 746. Perdis, ait, lacrimas, genitor te expectat ad umbras.
St. Th. III. 86. Insequor et comites feror expectatus ad umbras.

Or. 795. Tunc repetunt pariter regalia limina torvi.
St. Th. XI. 756. Assensu, limen tumidus regale petebat.

Dr. II. 18. Exprime, flammetur. quid fletu lumina tinguis?
St. Th. V. 304. Et turbare comas et lumina tinguere fletu.
cf. Claudian. XXXI. 137.

Dr. II. 39. Dulce nefas cupiat frater vitietque sororem.
St. Th. V. 162. Perfringunt, ac dulce nefas in sanguine vivo.

Dr. VIII. 66. Sordent arva viro post iurgia tanta dearum.
St. Th. X. 832. Iam sordent terrena viro . . .

Dr. VIII. 147. Sic praestat Bellona nurum, gener ipse Tonantis.
St. Ach. I. 34. Fert Bellona nurum . . . .

Dr. VIII. 224. Sed si torpor iners pudor est et turpe vacare.
St. Silv. V. III. 259. Sed te torpor iners et mors . . . .

Dr. VIII. 324. Tydides Sthenelusque fremunt Aiaxque secundus.
St. Ach. I. 469. Tydides Sthenelusque premant . . .
ibid. I. 500. . . . . Aiaxque secundus.

Dr. X. 187. Ante preces audisse deam. mox numen adorans.
St. Th. V. 157. Ante preces venere deae; sed fallit ubique.

Dr. X. 313. Indicat ignoto passim (?) nupsisse marito.
St. Th. III. 705. Quantus amor castae misero nupsisse marito.

Dr. X. 366. Ventum erat ad Thebas, pellis datur aurea regi.
St. Th. II. 65. Ventum erat ad Thebas; gemuit prope limina nati.

Dr. X. 436 sq. Iam pie rex Erebi qui formidabile regnum
Mortis habes . . .
St. Th. IV. 473. Tartareae sedes et formidabile regnum
Mortis inexpletae . . .

Dr. X. 490. Lambere caeruleis permisit serta cerastis.
St. Th. I. 91. Lambere sulpureas permiserat anguibus undas.

Dr. X. 500. Stelligeri iubar omne poli . . . .
St. Th. XII. 565. Stelligeri iubar omne poli . . . .

Dr. X. 575. Obruit infaustis crudelia semina sulcis.
St. Th. I. 8. Agricolam infandis condentem proelia sulcis.
cf. Ovid. Met. I. 123 sq.

e. Imitationes Claudiani.

(rec. Ludov. Ieep. II. voll. Lips. 1876 et 1879.)

Or. 24. Ante toros iacet ille tori regalis amator.
Cl. XXIX. 93. Gramineum vernatque tori regalis imago.

Or. 304. Mortibus alternis et vitae damna repensant.
Cl. XXXIII. 58. Nascendique vices alterna morte rependis.
cf. tamen Verg. Aen. VI. 121.

Or. 342. Impia sic Lachesis Parcarum lege bipenni.
Cl. XCI. 1. Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.

Or. 382. Imperat acciri populos (venere coacti);
Cl. XXXIII. 77. Imperat acciri . . . cf. tamen etiam Stat. Th. I. 532.

Or. 394. Spondeo iam requiem, placidam sperate quietem.
Cl. LXXXV. 5. Clauditur et placidam discit servare quietem.

Or. 398. Aspera tela vacent, curventur falcibus enses.
Cl. XXI. 223 sq. .. flexosque Sigambri | In falcem curvent gladios...

Or. 965. Vos pietas miseranda rogat, vos mitis honestas.
Cl. XV. 404. Te pietas polluta rogat. Si flentibus aram.

Dr. II. 18. Exprime, flammetur. quid fletu lumina tinguis?
Cl. XXXI. 137. Sic uxor, sic mater eris. quid lumina tingis?
cf. tamen Stat. Th. V. 304.

Dr. III. 3. Et totum cognosce poli: nam rore maritat.
Cl. XXXV. 89. Concutit et glebas fecundo rore maritat.

Dr. V. 274. Quae te palmiferis docuit concurrere telis.
Cl. XXXIX. 8. Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
cf. Dr. Dd. I. 368. Par animi concors, paribus concurrere votis.

Dr. V. 306. Si ratio te nulla movet, si mente cruenta.
Cl. XVII. 228. Quem ratio non ira movet, qui facta rependens.

Dr. VI. 18. Et Venerem placare cupit, cui militat omnis.
Cl. XXIV. 52. O mundi communis amor, cui militat omnis.

Dr. VI. 52. Brachia virgineis adnectens stricta lacertis.
Cl. XXXV. 368. Mutuaque alternis innectite colla lacertis.

Dr. VI. 78 sq. Verbere purpureo Cypris iubet ire iugales
Remigat ammotis pinnarum plausibus ales.
Cl. XXXVI. 138 sq. . . tardos queritur non ire iugales
Immeritasque movens alterno verbere pennas.

Dr. VIII. 239. Hectore praelato, cui tota potentia cedit.
Cl. III. 358. Ut rebare, vigent et nostra potentia cessit.

Dr. VIII. 312. Post ignes reparata meos si pendit amorem | Germanae.
Cl. XXIX. 112. Susciperet, non ante suis impendit amorem | Pignoribus.

Dr. VIII. 572. Sudanti per (?) vectus equo, quem nuntius horrens.
Cl. XXXV. 122. Roranti praevectus equo. sic fata doloris.

Dr. VIII. 582. Ast ubi torva parens transacto flumine natos.
Cl. XX III. 128. Torva parens, pedibus quae nondum proterit arva.
Cl. XXXVI. 97. Illa refert: heu torva parens, nataeque peremptae.
cf. tamen etiam Stat. Th. IV. 249.

Dr. IX. 198. Exoptat reduci gaudens offerre nepotem.
Cl. XXVIII. 75. Romano puerum gaudens offerre favori.

Dr. X. 145. Risit Amor matrisque sinu se subtrahit ales.
Cl. X. 47. Risit Amor placidae que volat trans aequora matri.

Dr. X. 57. Qui gelidum quondam mecum transnaverat Istrum.
Cl. LXXVII. 7. Sic quicunque ferox gelidum transnaverit Histrum.
Cl. XXVI. 489. Bruma fere, rapidum postquam transnavimus Histrum.

Dr. X. 175. Adventum testata Dei, mox tetra fugantur.
Cl. XXXIII. 9. Adventum testata Dei. iam magnus ab imis.

Dr. X. 275. Ebria pampineis miscens vestigia thyrsis.
Cl. XXXIII. 19. Ebria Maeonius figit vestigia thyrsus.

Dr. X. 495. Processit roseis sol mundum amplexus habenis.
Cl. I. 1. Sol qui flammigeris mundum complexus habenis.

Dr. X. 504. Orbe tuo, miserere tuae, deus optime, nepti.
Cl. XV. 35. Roma precor. miserere tuae, pater optime, gentis.

Dr. X. 569. Et totum meliore coma perfunderet orbem.
Cl. I. 3. Sparge diem meliore coma crinemque repexi.

Satisf. 204. Me pugnante comes, victor ab hoste redis.
Cl. XXIV. 40. Et totiens uno victor ab hoste redis.

B. Allatis his quos Rossbergius praetermisit locis acidiendae mihi sunt ut supra commemoravi:

1. Imitationes Lucretii.

Or. 389. Regis culpa fuit, qui exhausit civibus urbem.
Lucr. VI. 1140. Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
cf. Stat. Silv. III. 5. 73. — Apoll. Sidon. V. 581.

Or. 443. Et post fata viro flamma crepitante sodalem.
Lucr. VI. 155. Terribili sonitu flamma crepitante cremâtur.
cf. Verg. Aen. VII. 74.

Or. 565. Viscera, lucis iter vel magni ianua mundi.
Lucr. V. 454. Lunamque efficerent et magni moenia mundi.
cf. Cir. 7 et Catull. 66, 1.

Or. 844. Aëra per tenerum .... (umbra fugatur.)
Lucr. II. 146. Aëra per tenerum .... (pervolitantes.)
cf. Verg. Aen. IX. 696.

Dr. II. 10. Per tua tela, puer, fecundis inlita flammis.
Lucr. V. 1094. Multa videmus enim caelestibus inlita flammis.

Dr. II. 47. Quod natura creat, caelum, mare, sidera, tellus.
cf. X. 139. Dum precibus elementa quatit, mare sidera, terras.
Lucr. V. 68. Fundarit terram, caelum mare, sidera, solem.

Dr. II. 74. Accipit et flammas hominum divumque voluptas.
Lucr. I. 1. Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas.
Lucr. VI. 94. Calliope, requies hominum divomque voluptas.

Dr. V. 65. Sponte petens tormenta cruces per membra per artus.
Lucr. II. 282. Cogitur interdum flecti per membra per artus.
cf. Lucr. IV. 119. Quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus?

Dr. VI. 99. Et matronali sponsas cinxere corona.
Lucr. II. 606. Muralique caput summum cinxere corona.

Dr. VII. 156. Mandat ad aequoreos comites et frigida ponti
Aequora flammat . . . . . .
Lucr. V. 1000. . . . . nec turbida ponti
Aequora fligebant . . .

Dr. VIII. 455. Molliter intendunt omnes per inane vagari.
Lucr. II. 105. Paucula quae porro magnum per inane vagantur.
ibid. 109. Multaque praeterea magnum per inane vagantur.

Dr. VIII. 492. Vestibus incedat vel qua lanugine malas.
Lucr. V. 889. Occipit et molli vestit lanugine malas.
cf. tamen Verg. Aen. X. 324.

Dr. IX. 15. Ingerit et manes tolerant per membra dolorem.
Lucr. VI. 657. Aut alium quemvis morbi per membra dolorem.

Dr. IX. 96. Mortibus, unde caret tellus vitalibus auris.
Lucr. III. 577. Tegmine et eiectis extra vitalibus auris.

Dr. X. 111. Piscis aves armenta pecus fera pastor anhelant.
Lucr. V. 228. At variae crescunt pecudes armenta feraeque.

Dr. X. 499. Ne dispersa fluant aut mundi machina mergat.
Lucr. V. 96. Sustentata ruet moles et machina mundi.

Dr. Sat. 63. Cera dat ingenium pueris, primordia sensus.
Lucr. IV. 531. Ire foras ubi coeperunt primordia vocum.

2. Imitationes Catulli (cf. Corollarium), **Tibulli, Propertii.**

Or. 27. Martia bellipotens referebat classica princeps.
Tib. I. 1. 4. Martia cui somnos classica pulsa fugent.
cf. Or. 698. . . . . crepuerunt classica Martis.

Or. 60. Regia virgo cito per patria colla pependit.
229. . . . . per rustica colla pependit.
cf. 644. . . . . per dulcia colla ruebat.
Prop. V. 5. 51. Aut quorum titulus per barbara colla pependit.
(iam supra (§ 1. A. f.) contuli).

Or. 264. Saucius et tremulo quatiebat corpore terram.
simill. Cat. LXIV. 305. . infirmo quatientes corpora motu.
v. 307. His corpus tremulum . . . .

Or. 723. Ante tamen nostram perfundat sanguine dextram.
Cat. LXIV. 230. Adnuit, ut tauri respergas sanguine dextram.

Or. 758 et Dr. X. 419. . . . . criminis auctor.
Prop. II. 6. 19. . . . . tu criminis auctor.

Dr. II. 38 sqq. . . . . nec natus matris amator
Dulce nefas cupiat frater vitietque sororem
Privignoque suo potiatur blanda noverca.
Cat. LXIV. 402 sq. Liber ut innuptae poteretur flore novercae
Ignaro mater substernens se impia nato.

Dr. II. 156. Cum simul Antaeum rapui telluris alumnum.
Prop. V. 3. 67. . . . . telluris alumnis.

Dr. V. 147. Verticis unde comam vera pietate parentes.
Cat. LXVII. 29. Egregium narras mira pietate parentem.

Dr. VII. 22. Vesticolae niveos peteret cum virginis artus.
Cat. LXIV. 364. Excipiet niveos percussae virginis artus.

Dr. VII. 28 sq. . . tympana rauca puellae | Percutiant palmis...
Cat. LXIV. 261. Plangebant aliae proceris tympana palmis.

Dr. VII. 73. Ut vacat expositis post proelia miles ab armis.
Prop. III. 20. 5. Miles de positis annosus secubat armis.

Dr. VIII. 352 sqq. (leo) . . . . iam verbera caudae
Naribus incutiens spargit per colla per armos
Erecta cervice iubas, iam tenditur altus
Dentibus inlisis et pectus grande remugit,
Flumina tunc resonant, montes et lustra resultant.

simill. Cat. LXIII 81 sqq. Age caede terga cauda, tua verbera patere,
Fac cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.

Dr. VIII. 453. Interea nivei volitant per litora cycni.
Prop. IV. 2. 39. Contentus niveis semper vectabere cycnis.
cf. tamen Verg. Aen. VII. 699 et Ovid. Met. X. 247.

Dr. VIII. 576. Ingemit et flavos extorquet vertice crines.
Cat. LXIV. 350. Cum in cinerem canos solvent a vertice crines.

Dr. IX. 208. Hecuba maesta gemens et canos pulvere foedans.
Cat. LXIV. 224. Canitiem terra atque infuso pulvere foedans.

Dr. Sat. 86. Solibus alternis itque reditque salus.
244. Et tamen ad solitas itque reditque plagas.
Tib. II. 6. 46. Occulto portans itque reditque sinu.
cf. Verg. Aen. VI. 122. Martial. VI. 10. 8.

Dr. Sat. 224. Vindicat aut fremitus pigra senectus habet?
Tib. I. 10. 40. Occupat in parva pigra senecta casa!

Dr. Sat. 243. Sol oculus caeli radians fuscatur ab umbra.
Cat. LXIII. 39. Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis.

3. Imitationes Horatii.

Or. 13. Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis.
Hor. S. I. 5. 64. Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.

Or. 28. Puppibus Argolicis rex Pergama victa reportans.
Hr. Epist. II. 1. 193. Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Or. 350. Dic mihi, Musa, precor, qua re materna noverca.
Hor. A. P. 141. Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae.
cf. Or. 138. Ultio Dardanidum, captae solacia Troiae.

Or. 548. Sentiet, irati potius, quod tardius istis.
Hor. S. II. 3. 101. In media iussit Libya, quia tardius irent.

Or. 890. Conscendere patres templum praebente Minerva.
Hor. S. I. 5. 38. Murena praebente domum, Capitone culinam.

Or. 942. sq. Iudicii certamen erat, sententia duplex
Discrepat ....
Hor. A. P. 219. Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Dr. I. 8. Non lupum timebat agna, non leonem caprea.
Hor. Epod. 12. 26. Agna lupos capreaeque leones.

Dr. II. 23. Divitias ut tecta pluant, sit fulminis ales.
Hor. Od. IV. 4. 1. Qualem ministrum fulminis alitem.

Dr. II. 72. Dimittens matrem fricuisset cote sagittas.
Hor. Od. II. 8. 13 sqq. . . . . rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.
cf. Dr. II. 125. . . . faciles risere puellae (Nymphae).

Dr. III. 19 et 20 et Satisf. 113 simill. Hor. Od. IV. 3. 21 et 24.

Dr. V. 117. Tu testis Carthago manes invita volensque.
Hor. A. P. 385. Tu nihil invita dices faciesve Minerva.
(versus simillime facti.)

Dr. V. 307 sq. Humana pietate cares; imitare leones
Quos feritas generosa iuvat . . . .
Hor. S. II. 3. 186. Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?

Dr. VI. 115 sq. . . . . longa est lux ipsa diei
Et cupiunt transire diem, succedere noctem.
Hr. Epst. I. 1. 20 sq. Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus . . .

Dr. VII. 88. Hinnitus si forte sonent strepitusque rotarum.
Hor. Epist. I. 17. 7. Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum.

Dr. VIII. 13. Mollia blandifluo defundas verba palato.
Hor. S. II. 3. 274. Quid? cum balba feris annoso verba palato.

Dr. VIII. 46 sqq. 124—130. 324 sq. conferas velim Hor. Od. I. 15. 6 sqq.

Dr. VIII. 193 sq. Troianos regnare placet qua solis abenae
Ostendunt tolluntque diem . . . .
Hor. Carm. saec. 9 sq. Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas . . . . . .

Dr. VIII. 207. Ipse fui domibusque canens pecus omne coegi.
Hor. Od. I. 2. 7. Omne cum Proteus pecus egit altos.

Dr. VIII. 507. Dictorum verbis. sed pastor perfidus hospes.
Hor. Od. I. 15. 1 sq. Pastor . . . . perfidus hospitam.

Dr. VIII. 535. Hoc nam fata iubent vel nos hoc Iuppiter urguet.
Hor. Od. I. 22. 20. Iuppiter urguet.

Dr. VIII. 638. Duxerat uxorem pastor cum sorte sinistra.
Hor. Od. I. 15. 5. . . . Mala ducis avi domum.

Dr. IX. 2. Si meritum post fata manet, si fama superstes.
Hor. Od. II. 2. 8. Fama superstes.

Dr. IX. 153. Et leget infelix dispersi membra mariti.
simil. Hr. S. I. 4. 62. Invenias etiam disiecti membra poetae.

Dr. X. 249. Et consors matrona decens an caelibe vita.
Hor. Epist. I. I. 88. . . . . melius nil caelibe vita.

Dr. X. 404. Tu nemorum custos tu mors pinnata ferarum.
Hor. Od. III. 22. 1. Montium custos nemorumque, Virgo.

Dr. Satisf. 33. Et diademalem turparunt cornua frontem.
Hor. S. I. 5. 60 sq. . . . At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.

Dr. Satisf. 277. Fulmina non feriunt reptantia gramina terris.
279. Sed feriunt . . . . . .
280. Et montes vastos proxima saxa polo.
Hor. Od. II. 10. 11 sq. . . . . feriuntque summos
Fulmina montes.

4. Imitationes Senecae (trag.) [1]

Or. 25 sq. Ductorum ductor, regum rex, dux Agamemnon
Post duo lustra redux et post duo bella triumphans.
Sen. Ag. 39. Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum.
v. 42 sq. Post decima Phoebi lustra devicto Ilio
Adest daturus coniugi iugulum suae.

Or. 28. Puppibus Argolicis rex Pergama victa reportans.
v. 114. Captivos visura Phryges Agamemnonis uxor.
Sen. Ag. 207. Captiva Pergama et diu victos Phrygas (trahit).

Or. 62. Mox imber rigat ora pius nataeque patrique.
Sen. Oed. 999. Rigat ora foedus imber et lacerum caput.
ibid. 974. Profusus imber rigat fletu genas.

---

1) De Seneca harum tragoediarum auctore egit nuperrime: Rich. M. Smith 'de arte rhetorica in L. A. Senecae tragoediis perspicua'. Inaug. diss. Lips. 1885. — cf. Luc. Mueller, 'de re metr. poet. Lat.' p. 53 sq.

Or. 127. Permixtus candore rubor pallore fugato.
Sen. Med. 866 sq. Flagrant genae rubentes | Pallor fugat ruborem.
(iam supra (§ 1. A. f.) contuli.)

Or. 171. Letifero mucrone ferus. spes nulla salutis | Est.
Sen. Oct. 341 et 927. . . . . spes est nulla salutis.

Or. 175 cf. Sen. Ag. 251—253. cf. tamen Lucan. VII. 683.

Or. 250. Belliger armipotens, cultus depone minaces.
Sen. Troad. 893. Depone cultus squalidos, festos cape.

Or. 255. Callida funereo perfundit corpus amictu.
Sen. Oed. 564 sqq. . . . Ipse funesto integit
Vates amictu corpus et frondem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.

Or. 265 sqq. cf. Sen. Ag. 950 sqq. Utroque loco Agamemnon moriens cum apro plagis impedito comparatur.

Or. vv. 271 sqq. conferendos esse cum Sen. Troad. vv. 1 sqq. et
Or. vv. 252 sqq. cum Sen. Ag. vv. 937 sqq. iam alii monuerunt.

Or. 276. Et caret igne rogi, dederat qui Pergama flammis?
Sen. Troad. 55 sq. Caret sepulchro Priamus et flamma indiget
Ardente Troia. non tamen superis sat est.
(iam supra (§ 1. A. f.) contuli.)

Dr. IV. 1 sqq. cf. Sen. Herc. Oet. 1 sqq. et Herc. Fur. 209 sqq.

Dr. IV. 44. Pectore saxifico cui militat impia Gorgon.
Sen. Herc. F. 906. Aegis feroces ore saxifico minas.
(Utroque loco de clipeo Minervae agitur.)

Dr. VIII. 40 sqq. 143 sqq. simill. Sen. Troad. 56 sqq.
Dr. VIII. 55. Sic dolor exurgit divum, sic ira polorum.
Sen. Med. 49. Haec virgo feci, gravior exurgat dolor.
(iam supra (§ 1. A. f.) contuli.)

Dr. VIII. 144 sq. Invadet pereunte domo: iam Troia crematur,
Sed flammis rex ipse cares . . .
v. 150. . . . qui damnet Pergama flammis.
Sen. Troad. 55 sq. cf. imit. ad Or. v. 276.

Dr. VIII. 155. Troile quid cessas? quid parcis fortior Hector?
Sen. Troad. 1010. Pyrrhe quid cessas? age.

Dr. IX. 172 sq. Rex senior dans ipse tuis nec turpe putabat
Quod miserum fortuna iubet . . .
Sen. Troad. 720 sq. . . . nec turpe puta
Quicquid miseros fortuna iubet.
(Praeterea uterque locus simillimus est.)

Dr. X. 561 (Med.). Plumbeus axis erat raptus de quinque sepulcris.
Sen. Med. 803. Tibi de medio rapta sepulchro | Fax.

Dr. Satisf. 226. Attrectare tener Martia tela manu (puer).
Sen. Troad. 785. Non arma tenera patria (?) tractabis manu (puer).

5. Imitationes Valerii Flacci.

Or. 43. Candida fluctivagi tendebant carbasa venti.
Val. Flacc. IV. 422. Dixerat et placidi tendebant carbasa venti.

Or. 116. Qua visa cessere loco matresque nurusque.
Vl. Flacc. VIII. 141. Et soror adque omnes aliae matresque nurusque.

Or. 129. Credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas.
Val. Flacc. III. 421. Flumina et aequoreas pariter decurrit ad undas.

Or. 318. Femineas ostentat opes, quas sexus habebat.
Val. Flacc. VI. 61. Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim.

Or. 329. Mollibus artifices iungens amplexibus artus.
Val. Flacc. III. 309 sq. . . . fas iungere tecum
Pectora et exsangues miscere amplexibus artus.

Dr. II. 123 sqq. cf. Valer. Flacc. III. 560 sqq.
(De Hylae raptu.)

Dr. II. 123. Cum loquitur, cantabat Hylas fontemque petebat.
Val. Flacc. III. 531. Turbatum visura nemus, fontemque petebat.

Dr. VI. 60. Ibat in obsequium risus, amplexibus haerens.
Val. Flacc. I. 316. . . longis flentes amplexibus haerent.

Dr. VIII. 115. Et vicibus cara Paridis cervice fruuntur.
Val. Flacc. I. 259. Adsiluit caraque diu cervice pependit.

Dr. VIII. 117. Fama volat per templa deum, quod pastor ab Ida.
id. II. 104. Non fuit Hippolytus talis, non pastor ab Ida.
Val. Flacc. I. 549. Fixa meae, veniet Phrygia iam pastor ab Ida.

Dr. VIII. 525. Nocte dieque pavens quidnam velit illa iubere.
Val. Flacc. II. 281. Nocte dieque pavor . . . . .

Dr. IX. 39. Astyanacta tenet sic caelum questibus implet.
Val. Flacc. VI. 726. Tergaque versa tuens his caelum questibus implet.

Drac. X. 50 sqq. simill. Val. Flacc. VII. 158 sqq.

Drac. X. 484. 491. 494. 515 sqq. cf. Val. Flacc. V. 446—452.

Dr. X. 517. Colchis et infaustas vomuerunt munera flammas.
Val. Flacc. II. 25. . . et sacras revomentem pectore flammas.

Dr. Satisf. 139. Acrius iratus crispato lumine ferri.
Val. Flacc. III. 100. Restitit ille gradu seseque a lumine ferri.

6. Imitationes auctoris Homeri Latini, quem nunc Silium Italicum haberi iam diximus.

Or. 61. Oscula pura petens et dans commercia mundi.
Dr. II. 38. Oscula nata petat nec natus matris amator.
Hom. Lat. 567. Oscula parva petit, subito perterritus infans.
cf. Sil. It. XIII. 652. Oscula vana petens . . . (vide supra § 1. A. f.)

Or. 354. Consilium mendax sollerti pectore sumsit.
Hom. Lat. 176. Quos iuxta fidus sollerti pectore Nestor.
ibid. 704. Miserat, ut Danaum sollerti pectore vires.
cf. Catull. LXIV. 294. . . . . sollerti corde Prometheus.

Orest. 631 sqq. cf. Hom. Latin. 702 sqq.
Or. 637. Fortior Oenides.. cf. Hom. Lat. 466. Non tulit Oenides...

Or. 711 sq. Qualis in hoste fuit trux inrevocabilis Aiax
Hectora cum peteret clipeo septemplice tectus.
Hom. Lat. 611 sq. . . . . at ferus Aiax
Ingentem clipeo septemplice reppulit ictum.

Or. 787. Concidit et tunicam manibus tendebat ad imos.
Hom. Lat. 347. Incidit et tunicam . . . . . .

Or. 860. sq. Quid faciat? quos ille deos, quae numina poscens
Eliciat supplex? . . . .
simill. Hom. Lat. 970. . quid agat? quae numina divum
Invocet?

Dr. VIII. 46. Heu magnis viduanda viris, orbatur et Eos.
Hom. Lat. 1019. Heu tanto spoliata viro! ruit omnis in uno.

Dr. VIII. 47. Memnone belligero, damnatur Thessalus heros.
Hom. Lat. 690. Ut ferat auxilium miseris. At Thessalus heros.
cf. Stat. Theb. VI. 442.

Dr. VIII. 93. Culmen et urbis apex . . (Hector.)
Hom. Lat. 529. Hinc patriae culmen pugnat Mavortius Hector.
cf. Senec. Troad. 128.

Dr. VIII. 204. Scindite pellitas niveo de pectore vestes.
Hom. Lat. 846 (1018). . Scindit firmas de pectore vestes.

Dr. VIII. 605. Aequaret virtute potens, tamen Hectore magno.
Hom. Lat. 206. Egregia virtute potens; simul horrida Guneus.

Dr. IX. 38 sq. Andromache viduata gemit vel ut ubere parvum
Astyanacta tenet . . . . .
Hom. Lat. 565 sq. Hectoris Andromache, parvumque ad pectora natum
Astyanacta tenet . . . (cf. etiam vv. 1015 sqq.)

Dr. IX. 72. Concidit et moriens tremibundos porrigit artus.
Hom. Lat. 376. (moriens) Concidit et terram gemibundus vertice pulsat.

Dr. IX. 101 sq. cf. Hom. Lat. 12 sqq. et Dr. IX. 193 sqq. cf. Hom. Lat. 986 sqq.

Dr. X. 526. Verberat et flentes sed non sua funera plangunt.
Hom. Lat. 1002. Laetantur Danai, plangunt sua funera Troes.

Praeterea conferas velim:
Or. 799. Conveniunt Danai, regis sub honore salutant.
Sil. It. XVI. 245. Sceptrigero cum rege pari sub honore residunt.
id. XI. 426. . . . aequo sub honore vocatur.

Or. 915. Et meminisse reor primaevi temporis annos[1]).
Sil. It. X. 493. . . . primaevi corporis annos.

Dr. Dd. III. 396. Quid? Romanus eques vasto telluris hiatu.
Sil. It. IX. 540. . . . . vasto telluris hiatu.

7. Imitationes Iuvenalis.

Or. 234. Plus magis audaces animos de crimine sumunt.
Drac. De deo III. 461 sq. . . . . audacius illis
Deprensis nihil est, animos de crimine sumunt.
Iuv. VI. 284 sq. . . . Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos de crimine sumunt.
(iam supra (§ 1. A. f.) contuli.)

1) annos codd., Baehrens: annis.

Or. 649 sq. . . . . vel pulvinaria regum
Crimine prostituens gaudet fecisse lupanar.
Iuv. VI. 132. (meretrix Augusta) Faeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Or. 906. Cuius in exitium sat erit non culleus unus.
Iuv. VIII. 213 sq. Cuius supplicio non debuit una parari
Simia nec serpens unus nec culleus unus.

Drac. V. 183. Tetra venena neci pretio maiore parantur.
Iuv. V. 56. Flos Asiae ante ipsum, pretio maiore paratus.

Dr. VIII. 9. Sed nihil est sine matre pater. quota portio patris.
Iuv. III. 61. . . . quamvis quota portio faecis Achaei?

Dr. VIII. 39. Iudicis Idaei pretio sententia fertur.
Iuv. II. 62. De nobis post haec tristis sententia fertur.

Dr. VIII. 214. Imperium trabeas iam post caeleste tribunal.
Iuv. X. 35. Praetexta et trabeae, fasces, lectica, tribunal.

Dr. VIII. 229. Dat Venus uxorem, faciet te Iuno maritum.
Iuv. VI. 219. Non aliter quam si fecisset Iuno maritum.

Dr. VIII. 433. Dardanus exsiluit tremulis post aequora plantis.
Iuv. VI. 96. Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.

Dr. IX. 116. Manibus et superis divisit limite mundos.
Iuv. X. 169. Aestuat infelix angusto limite mundi.
cf. tamen Lucan. II. 11.

Dr. X. 301. Tristis abit, delubra tacent, sacraria maerent.
Iuv. VI. 128. Tristis abit et, quod potuit, tamen ultima cellam.

Dr. X. 426. Inlustres animas, niveam cum Iasone Glaucen.
Iuv. IV. 152. Illustresque animas impune et vindice nullo!
cf. tamen Verg. Aen. VI. 758.

Dr. X. 445. Vos propter scindens homines in ventre necavi.
Iuv. VI. 596. Quae sterilesfacitatque homines in ventre necandos.

Dr. X. 479. 'Conventum pactumque', sonat, 'signate tabellas'.
Iuv. VI. 200. Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis.

Dr. X. 527. Stabat sola nocens necdum satiata sacerdos.
Iuv. VI. 130. Et lassata viris necdum satiata recessit.
cf. Claudian. V. 206.

Dr. Satsf. 15. Quicquid agunt homines, bona, tristia, prospera, prava.
Iuv. I. 85. Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas.

Dr. Sat. 260. Tempora dant lucrum, tempora damna ferunt.
Iuv. VI. 571. Qui mensis damnis, quae dentur tempora lucro.

8. Insuper utrumque auctorem inveni secutum esse **Martialem, Prudentium, Reposianum**, quem Baehrensius aequalem esse Dracontii opinatur (vid. Mus. Rh. 31, 605; cf. etiam 'Unedirte lat. Ged.' 10); possunt enim optimo iure inter se conferri versus:

Or. 440 sqq. Alcestis meminisse iuvat, quae morte maritum
Manibus eripuit, pia coniugis, impia de se.
Quid loquar Euadnen Thebanis ignibus ustam.
Mart. IV. 75. 5. Arserit Euhadne flammis iniecta mariti
Nec minor Alcestin fama sub astra ferat.

Dr. VIII. 327. Tunc Polydamas ait submissa voce profatus.
Mart. VIII. 75. 11. Hos comes invalidus summissa voce precatur.

Or. 606. Excitet ingenium virtus et gloria mentem.
Prud. Psych. 386. Excitet egregias mentes celeberrima David| Gloria..

Or. 603. Parcitur infaustis: pius es pietate repulsa.
Prud. Sym. I. 522. Ne tanto imperio maneat pietate repulsa.

Or. 823. Ignibus admotis resolutos orbibus angues
Ingerit in faciem . . .
Prud. Psych. 43. Aggreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem . . .

Dr. V. 21. Si bellum sub pace cadat . . .
Prud. Psych. 699. Si virtus sub pace cadit . . .

Or. 278. Discite felices non unquam credere fatis.
Repos. 1. Discite securos non unquam credere amores.

Dr. VI. 18. Et Venerem placare cupit, cui militat omnis.
Repos. 2. Ipsa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor.

9. Ad extremum propono **imitationes** inter Oresteae auctorem et Dracontium et **Coripum** intercedentes, cum congruant horum versuum particulae:

Or. 38. Quae aptabat pietatis amor vel origo paterna.
Dr. VIII. 221. Nate redux pietatis amor, bonus arbiter Idae.
Coripp. Ioh. I. 148. Hic pietatis amor, subiectis parcere . . .

Or. 136. Ipsa Clytaemnestrae sacro correpta furore.
Coripp. Ioh. III. 91. Inde ferox rapitur, subito correpta furore.

Or. 171. Letifero mucrone ferus. spes nulla salutis.
Dr. V. 13. Letifero mucrone premens. sub imagine civis.
Cor. Ioh. VII. 536. Letifero mucrone secat, ceu messor acuta.

Or. 244. Atque coruscantes fundebat vertice flammas.
Dr. X. 558. Squamea, cristato radiabant vertice flammae.
Coripp. Ioh. I. 326. Volvebant venti crispantes vortice flammas.

Or. 249. Impia quae reducem fallaci voce salutat.
Coripp. Ioh. IV. 59. Accurrunt celeres et amica voce salutant.

Or. 286. Faucibus eripiens germanum Electra parentis.
Coripp. Ioh. V. 12. Eripuit mediis cunctos de faucibus Orci.
cf. ibid. III. 281.

Or. 288. Et bene sollicita studiis sapientibus addit.
Coripp. Ioh. I. 520. Sic bene sollicito dispensans pectore ductor.

Or. 297. Cornipedem si quisque levem frenabat habenis.
Coripp. Ioh. IV. 544. Flectere cornipedem placidis bene doctus habenis.
ibid. II. 89. Cornipedum saevus laxatis Austur habenis.

Or. 561. Transigo funereum materna in viscera ferrum.
Coripp. Ioh. II. 480. Cuncta ferus, saevum geminans in viscera ferrum.

Or. 586. Imus ad Argolicas veniam donare Mycenas.
Dr. VII. 68. Nescit enim senibus veniam donare Cupido.
Coripp. Ioh. II. 394. Propter captivos veniam donare licebit.

Or. 727. Ossibus et fractis minuunt per mille secures.
Coripp. Ioh. IV. 755. Ossibus et fractis pariter per molle cerebrum.
cf. supra (C. III. A. b) imit. Ovid. ad hunc versum.

Or. 850. Qui famulos matrem, matrem putat esse sodales.
Coripp. Ioh. I. 201. Se putat Ascanium, patrem putat esse Creusam.

Or. 879. Proiecit cultrum percussa fronte sacerdos.
Coripp. Ioh. V. 152. Asper in adversa percussus fronte bipenni.

Or. 909. Tempore sit(?) modico vivax laniando cadaver.
Coripp. Ioh. V. 44. Tempore sub modico periet gens impia Maura.

Or. 933. Taedia sollicitant animos mentemque fatigant.
Coripp. Ioh. II. 311. . . . animum corpusque fatigans.

Or. 938. Dixit et imposuit moderata silentia linguae.

Coripp. Ioh. IV. 338. Permisere loqui digitisque silentia linguis
Imposuere suis . . . . . .

Dr. II. 22. . . . . cadat aureus imber
Divitias ut tecta pluant . . . .
Coripp. Laud. Iust. IV. 73. . late pluat aureus imber.

Dr. V. 35. Sarmata Persa Gothus Alamannus Francus Alanus.
Coripp. Ioh. II. 383. Nos Alanos Hunnos Francosque Getasque domamus.

Dr. V. 96. Pro quibus arma tulit. quid prodest pellere bellum.
Coripp. Ioh. II. 296. Pro quibus arma movet. sensus vigilanter oberrat.

Dr. IX. 171. . . . Priamus iacet oscula plantis
Rex senior dans ipse tuis . . . . .
Coripp. Ioh. I. 155. Procidit ante pedes divinisque oscula plantis
Pressa dedit . . cf. id. Laud. Iust. I. 158.

Dr. X. 220. Ignea sidereo componit spicula nervo.
Cor. Ioh. VII. 512. Stridula raucisonis compellit spicula nervis.

Corollarium ad cap. III. B. 2 spectans.

De Dracontio Catulli imitatore.

Carmina Catulli inde a Gellii temporibus paulatim in oblivionem venisse eaque per multa saecula obruta fuisse, praeter alios viros doctos nuper Riese pro certo affirmare non dubitavit. En verba ipsa, quibus in praefatione editionis carminum Catulli [1]) (p. XXXIV) usus est: 'Auch Gellius citiert ihn, jedoch nur dreimal, sodass man daraus nicht auf ein stärkeres Hervortreten Catulls in der archaisierenden Periode schliessen darf. Später aber verschwand er, dessen 'liber' noch Ter. Maur. 2899 citierte, vollständig; Martianus Capella 3, 229 spricht von Catullus quidam; weder Luxorius noch andere Dichter der Anthologie ahmen ihn nach...., und Isidorus kannte ihn selbst ebenso wenig wie im neunten Jahrhundert der gelehrte Abt Servatus Lupus.... erst um die Wende des 13. zum 14. Jahrhunderte wurde Catull eigentlich neu entdeckt'.

Nuperrime autem Ludov. Schwabius 'Catulli Veronen-

1) Die Gedichte des Catullus, herausg. u. erklärt von Alexander Riese. Leipz. Teubn. 1884.

sis librum ad optimos codices denuo collatos recognovit' (Berol. apud Weidmannos MDCCCLXXXVI), qui, 'ut omnis antiqua Catulli memoria in suo libello comprehenderetur, indicem locorum, quibus scriptores alii Catullum nominaverunt aut eius versus citaverunt', pp. VII sqq. confecit. Ibi pp. XI sqq. tales loci Catulliani etiam ex operibus complurium scriptorum enotantur, quos multo post Gellium vixisse constat. Attamen aliud est locum alicuius poetae afferre, aliud carmina eiusdem poetae ipsa re vera legisse et ab eo ipso versus sumpsisse. Etenim, si hos Catulli locos, quos Schwabius ibid. p. XII et p. XIII enumeravit, deinceps percensemus, versus Catulli I, 1 'Cui dono lepidum novum libellum', quem Ausonius bis (opusc. 23, 1 et 26, 1) usurpavit, iam apud Terentianum Maurum 2562 occurrit. Omnino ex Schwabii commentario intellegas velim, quotiens hic ipse versus una cum iis, qui sequuntur, citentur, ut persuasum habeas, neminem fere carmina Catulli ipsa vidisse, sed versus Catullianos ab aliis viris doctis descripsisse. — (38)[1]) Hieronymus certe Suetonio auctore usus est. — (39) Augustinus versum Catullianum 4, 1 'Phasellus ille quem videtis, hospites' a Terentiano Mauro petivit. — (49) Boethius Catull. carm. 52 versum 2 a multis metricis mutuari potuit. — (50) Priscianus vv. Catull. 37, 17 et 4, 25 Capro et Diomedi debet. Itaque dubitari vix potest, quin etiam Catull. carm. 2 versum 13 'Quod zonam solvit diu ligatam' ex simili fonte hauserit. — (51) Isidorus locum Catull. 1, 1 a multis auctoribus accipere potuit. Apud unum talem auctorem hic compilatorum omnium maximus certo etiam Catull. 64, 65 invenit, quem versum falso aut auctor aut ipse Cinnae attribuit. — (52) Iulianus Toletanus inferior est quam qui cognitionem loci Catull. 5, 4 aliter atque per alios scriptores consecutus sit (cf. 'qui' Hauptius).

Quae cum ita sint, restant (40) Macrobius et (42) Martianus Capella, quos Catulli carmina 14 et 64 ante oculos habuisse verisimile est. Certum enim atque exploratum ne id quidem est, et facile fieri potuit, ut hi quoque hos ver-

1) Ita apud Schwabium hi scriptores numeris notati sunt.

sus aliunde assumerent, quod ipsum de Martiano Capella quidem propter verba 'Catullus quidam' Riesius, ut supra legimus, opinari videtur. Sed utut haec res se habet, id non abnues, Martianum Capellam et Macrobium centum fere annis ante Dracontium opera sua conscripsisse. Ceterum commemorandum est, et Martianum Capellam certe Afrum fuisse et Macrobio, qui sermonem suum minus latinum sic excusat: 'nos sub alio ortos caelo latinae linguae vena non adiuvat', eandem Africam patriam iam alios probabiliter assignavisse.

Dracontium autem Catulli carmina ipsa legisse negari nequaquam potest. Tales enim sunt imitationes illae, quas equidem supra (cap. III. B. 2) attuli, ut aliunde atque ex assidua ac repetita carminum Catullianorum lectione deduci non potuerint. Qui non solum singulos versus in usum suum ita convertit, ut singulas voces eodem ordine versibus suis insereret, verum etiam complures continuos versus interdum in promptu habuit, in quibus imitandis etiam unum alterumve vocabulum ab exemplari suo mutuatus est. Itaque imitationibus supra allatis, temporibus Dracontii carmina Catulliana in oblivione non iacuisse, satis luculenter demonstravisse mihi videor, quae imitationes et frequentes, cum ad Catulli versus non minus duodecim pertineant, iure optimo dici possunt et ultimae certarum sunt.

Fortasse alii quoque poetae Dracontio aequales similiter ad Catullum imitandum se contulerunt, sed hoc alii viderint.

Index.

pag.

Praefatio 3

Quaestio I. De genere dicendi 6

Caput I. De sermonis utriusque auctoris universo colore . . 6

Caput II. De singularum vocum usu ac structura 12

§ 1. De congruentibus versuum particulis 12

A. Congesti sunt priorum poetarum loci ab utroque auctore eidem usurpati: a) Vergiliani, b) Ovidiani, c) Lucanei, d) Statiani, e) Claudianei, f) Propert., Senec., Sil. Ital., Iuvenal., Tertull. 12

B. Aliae versuum particulae collectae sunt, quae utrobique occurrunt 18

§ 2. De simillima vocabulorum usitatorum supellectile . . 34

§ 3. De vulgari qui dicitur sermone utriusque auctoris proprio 39

§ 4. De vestigiis Africanae quam vocant latinitatis utroque loco extantibus 52

§ 5. De aliis vergentis iam aetatis linguae proprietatibus apud utrumque auctorem conspicuis 61

§ 6. De vocibus aut nusquam alibi aut eodem modo nusquam alibi adhibitis 76

Caput III. Allatae sunt imitationes eorundem poetarum utroque loco conspicuae 77

A. Imitationes a Rossbergio praetermissae: a) Vergilii, b) Ovidii, c) Lucani, d) Statii, e) Claudiani 81

B. Adiectae sunt imitationes: 1) Lucretii, 2) Catulli, Tibulli, Propertii, 3) Horatii, 4) Senecae, 5) Valerii Flacci, 6) Sil. Italici, 7) Iuvenalis, 8) Martialis, Prudentii, Reposiani, 9) Corippi 93

Corollarium ad cap. III. B. 2 spectans: **De Dracontio Catulli imitatore** 106

Vita.

Natus sum Bernardus Barwinski Idibus Iuniis anni MDCCCLIV in vico 'Gross-Purden', in Borussia orientali sito et urbi primariae 'Allenstein' ascripto, patre Ioachim, praedii possessore, matre Helena e gente Gross, quos ambos adhuc viverė summa laetitia afficior. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis domi imbutus gymnasium Roesseliense frequentavi, unde, maturitatis testimonio munitus, mense Octobri a. MDCCCLXXV Regimontum ad almam academiam Albertinam discessi, cuius per quatuor semestria civis in studiis philologicis et theotiscis versabar. Tum ad academiam Monasteriensem migravi ibique ter sex menses eisdem studiis me dedi.

Examine, quod dicitur pro facultate docendi, peracto, a. d. VII. Id. Iun. a. MDCCCLXXX Conitii, urbis in Borussia occidentali conditae, gymnasium regium petivi, ut annum quem vocant tirocinii tolerarem, unde auctumno eiusdem anni ineunte ad munus praeceptoris subsidiarii suscipiendum Valcium proficisci iussus sum, quo ipso loco nunc gymnasii regii praeceptoris ordinarii munere fungor.

Omnibus viris ill., qui literis me instruxerunt, gratias ago quam maximas.

WIDENER
OCT 2 7 2000
BOOK DUE